

<36629936020012

CONSPECTUS HISTORIÆ UNIVERSITATIS VIENNENSIS,

Ex antiquis, veteribùsque Documentis erutæ,

Et

Ab An. M. CCCC. LXV.

Usque

Ad An. M. D. LXV.

Deductæ,


Seu

SÆCULUM II.

A P. Sebastiano Mitterdorffer, è Soc. JEsu, Philosoph. Viennens. Professore

Conscriptus & editus,

An. Incar. Dom. M. DCC. XXIV.



An. 1465.



Ublato è vivis ſuperiore anno Pio II. Pontifici, Succeſſor à Cardinalibus datus eſt Petrus Barbus, Venetus, qui primò ſe Formoſum dici voluit; ſed mutato mox, Cardinalium ſuaſu, animo, Marci, demum Pauli II. Nomen aſſumpſit. Cujus, ùt Spondanus ad annum præſentem habet, ſunt inventa Cardinalium ornamenta, & rubri Bireti uſus; ut alienatos eorum animos deliniret: Pontificiam quoque auxit magnificentiam, paratâ cum tribus coronis Tiarâ gemmeâ (vulgò Regnum vocant) centum viginti millibus numûm æſtimatam.

Interea Viennæ non levis Controverſia Univerſitatem occupabat. Erat jam inde à Rudolpho IV. Collegiatæ ad D. Stephani Eccleſiæ Fundatore ſtatutum, ut Canonicorum pars dimidia ex Ducali Artiſtarum Collegio, habitâ ſenii ratione, aſſumeretur. Reductis deinde ad minorem numerum Sacerdotiis, ab Alberto III. ordinatum, *ut de octo Canonicatibus, & præbendis, quoties vacarent, diſponi & provideri pro Magiſtris ex Collegio prælaudato debeat.* Cùm itaque anno hoc ex obitu Magiſtri Nicolai de Puttern vacaret inibi Sacerdotium, illud collatum eſt Magiſtro Joanni Größl de Titmaning AA. Magiſtro, & Theologiæ Doctori, qui ex numero duodenario Collegialium Artium ampliùs non fuerat. Graviùs tulit Facultas privilegia ſua infringi. Res ad Univerſitatis conſilium primùm delata, à quo id datum reſponſi: ageret Facultas cum Doctore Joanne, ut ſponte ſuâ præſentationi cederet. Verùm ubi ille id

id recusâsset, idque unum adpromitteret; daturum se operam apud Pataviensem Episcopum, ut ejus intercessione proximè vacaturus Canoniæ locus uni ex Artistis in Ducali Collegio conferretur; ad Cæsarem est recursum, misso Neostadium Andreâ de Pottenbrun, Artium Magistro, ac Collegiali, cui Canonicatus competebat, cum libello supplici, cujus tenor in lib. 3. Act. Facultatis AA. exstat. Perlectis Cæsar literis, auditóque coràm Facultatis Oratore Andrea, *id demùm*, verba sunt Actorum: *per Reverendissimum in Christo Patrem Gurcensem Præsulem, suum Vice-Dominum acceptum est responsi: quòd vellet Collegiales Artistas conservare cum illo Privilegio Canoniæ, & solùm vellet recipere de Collegio juramentum, quòd aliô modô recturi sint supposita sua, quàm hactenus fecissent. Item quòd sua Majestas considararet Facultatis AA. affectum adversùs eum, & secundùm hoc vellet etiam eam gratiosè imposterùm conservare.* Neque ulteriùs aliquid à Cæsare est impetratum.

Alia jam anni initiô ad Fridericum, tum Neostadii aulam habentem, instituta est Viennensium legatio, eam ob causam; quòd molitiones novæ à nonnullis civium recèns tentatæ metum incussissent, ne paucorum perfidia bonis quoque exitio esset. Eam in legationem Cives ab Universitate Socios Oratores exorant: *Habita igitur in die Scholasticæ*, ùt laudata Acta recensent, *est Congregatio Universitatis, summo manè post pulsum Primarum ad audiendam petitionem quamdam per Magistrum Civium nomine totius Civitatis Wiennensis ad D. Rectorem, & Officiales suos factam: quomodò nempe civitas peteret Universitatem ad mittendum cum spiritualibus, & omnibus artificibus, & civibus ad impetrandum majorem favorem, gratiam, & protectionem prædictæ Civitatis, & piorum, à Domino Imperatore, quòd civitas in magnis constituta esset angustiis. Et conclusum fuit, quòd aliqui essent mittendi.* Ivêre igitur Ecclesiastici Ordinis Primates, Universitatis Deputati, ex Senatu Consul, & delecti primæ dignitatis viri; Opificum item decuriones, aliíque cives

non

non pauci; quibus veteres offenſas, & novos paucorum motus condonari orantibus, Cæſar per Antiſtitem Patavienſem reſpondet: omnium ſe eis gratiam facere; & ſi impoſterùm in officio permanſerint, eô erga illos animô futurum, quô paucos ex majoribus ſuis Auſtriæ Principibus fuiſſe crederent.

Non ex integro tamen Fridericus à Viennenſibus res ſuas tutas ratus, maximè Wenceslao quodam cum externi militis cohorte Pottendorffium per eos dies invadente, ac Sigismundo Comite à Pöſing Auſtriam latrociniis percurrente; æſtate igitur jam adultâ Erneſtum Saxonem, Patavienſem, & Gurcenſem Epiſcopos, alióſque ex Conſilio ſuo ad Viennenſes legat, iiſque coram, ubi in palatii area omnes Civitatis ordines à jurejurando, quô ſe Sigismundo Archiduci obſtrinxerunt (initis enim pactis Sigismundus ſuas in Auſtriam partes Friderico annô Superiori ab obitu Alberti ceſſerat) liberi pronuntiantur, Friderico Cæſari, & hæredibus perpetuum fidei Sacramentum renovant.

Etſi ſuperiore jam An. 1464. ùt Schönleben ex quodam MS. recenſet, vitam finiêrit egregius vir *Thomas Ebendorffer de Haslbach*, quòd tamen gratam ejus memoriam præclara viri in Univerſitatem noſtram merita poſtulent, eidem iſthìc parentamus. Artium is erat in Archigymnaſio noſtro, & Theologiæ Profeſſor eximius, zeloſus in Bertoldſtorff Plebanus, & ad S. Stephanum Canonicus, atque Monialibus ad S. Jacobum à conſcientiis; tertiùm Univerſitatis Rector, primarius Legatus Academicus ad Concilium Baſileenſe. Arguit eum Sixtus Senenſis prolixitatis: Et Trithemius: *Cùm eſſet*, inquit, *Ordinarius S. Theologiæ Lector in Gymnaſio Wiennenſi, Uno & viginti annis in Iſaiam Prophetam legens, ad finem primi Capituli non pervenit.* Quibus verbis, quàm palmarem viro optimè merito injuriam fecerit, ſatìs, ſupérque ejus in Iſaiam commentationes loquuntur; quarum ſi aliquas oculis ipſi perluſtrâſſent, eundem haud dubiè ad caput uſ-

que sextum decimum Isaiæ scriptionem deduxisse intellexissent. Reliquit præterea non pauca alia monumenta, quorum nonnulla Possevinus recenset. Inter eruditos ejus labores maximè celebrandum *Chronicon Austriæ MS.* quod ex Facultatis Philosophicæ Bibliotheca cum Collectore Scriptorum Austriacorum nuper communicatum, publici juris faciendum inaudii. Quantæ vir authoritatis in Concilio Basileensi fuerit, quantæ apud Fridericum Cæsarem, abunde ex iis, quæ parte 1. Hist. Universitatis memorata sunt, elucescit.

An. 1466.

PAulus Pontifex non eo in Georgium Bohemiæ Regem animo, quo Pius II., eundem anno hoc, die Cœnæ Domini, quòd contra juratam nuper fidem neque Basileensium Decretis acquiesceret, & Hussi dogmata foveret, sacrorum communione exuit, fulmine Apostolico iis, qui ei fidem, & obsequium præstarent, intentato. Affixa est Pontificis sententia in templorum valvis Olomucii, Wratislaviæ, Brunæ, & alibi. Viennæ etiam Crucis commilitium prædicatum, longæque peccatorum veniæ arma in hæreticum, ut literæ Pontificiæ eum vocabant, sumentibus, indultæ. Concivit isthæc denunciatio non paucorum ex Academicis nostris animos, ita Actis Philosophicis referentibus: *Retulit 25. Julii Decanus desiderium quorundam cruce signatorum: quomodò nempe præcedenti die Magister Leonardus de Valle Bergonensi cum pluribus studentibus, & eorum Capitaneis, volentium ire contra damnatos Bohemos, instantiùs, & devotiùs petivissent suffragium in hoc sancto negotio. Qua petitione ipsorum collaudatâ conclusit Facultas, quod in communi 20. fl. Hungaricales deberent eisdem dari.*

Ne antehàc Georgius sacris interdiceretur, Fridericus potissimùm, quòd ejus amicitiâ, & subsidio domesticis nuper in turbis uteretur, intercesserat. Cæterùm nemo ad bellum Bohemo inferendum magis idoneus Pontifici visus, quàm Mathias Corvinorum è gente

gente Hungariæ Rex. Hunc igitur, re jam antea cum ejus legatis agitatâ, crebris literis admonet: ut qui secundis aliquot præliis Turcarum vires fregisset, hunc quoque in Ecclesiam Dei contumacem sibi debellandum sumeret: neque tam arctum affinitatis (filiam enim Georgii toro junctam habebat) esse vinculum, quod ab hoc tam sancto negotio eum absterreat. Addidit & Fridericus Mathiæ animos, ac spem subsidiarii militis.

Hos sub annos in Archigymnasio nostro virtutibus æquè, ac literis excoluntur magna aliquandò utraque in Republ. nomina. Petrus scilicet de Puseil primus deinde Neostadiensis Ecclesiæ, in Cathedralem à Friderico anno 1470. erectæ Episcopus. Georgius de Altenöting suo tempore Antistes Lavantinus. Christophorus Schachner honestô apud Riedenses Bavariæ locô natus, annô 1490. ùt Hundius habet, Pataviensis electus Præsul. Wigileus Fröschl ex Nobili Bojorum familia, qui annô 1500. ab obitu Schachneri viduas Pataviæ infulas scientiâ, & virtute meruit. Achatius Sebriacher, subinde Tergestinis clarus infulis. Illustrissimi item Principes Georgius, & Sigismundus de Anhalt Comites de Ascania: quorum prior Illustrissimus Princeps in Universitate nostra anno 1471. Procuratoris munere ex natione Saxonica functus est.

An. 1467.

JAm Inferior Austria à civilibus, externísque quieta erat turbis, cùm Viennenses desiderium sui Principis, ab eo etiamnum tempore, quo à suis Viennæ obsidione cinctus tenebatur, alibi aulam habentis, ampliùs haud ferebant: Decreti igitur Legati, qui ad Cæsarem profecti orarent, ut qui Viennenses nuper in gratiam clementer recepisset, aulam quoque Viennam revocaret. Plurimùm ad id momenti allaturum, cùm non dubitarent Viennenses, si Universitas Oratores adjungeret: *Hinc propositum fuit*, ajunt acta, *in vigilia*

gilia Ascensionis Domini per D. Doctorem Magistrum Martinum Guldein, & alium Consulem, scilicet Honorium, D. Rectori, & suis Officialibus, ac aliis Doctoribus, & Magistris in Stuba Collegii Ducalis, quòd Communitas, & Cives Wiennenses sequenti die, scilicet in festo Ascensionis, intenderent legationem solemnem, videlicet circa quinquaginta viros mittere ad Dominum Imperatorem, tunc existentem in Thermis, seu Baaden, ad intendendum; ut sua Imperialis Majestas se in praesentiarum constitueret in solita Residentia Principum Austriae, scilicet in Wienna. Optabant igitur nomine Vice-Magistri Civium persuadentes, ut etiam Universitas aliquos de suis mitteret ad illud idem impetrandum. Quocirca quatuor Facultates concluserunt: ut huic desiderio ad praesens annuendum esset: Et quidem imprimis ipse Rector Universitatis, & ex qualibet Facultate Magistri, nempè de Facultate Theologiae, Decanus M. Paulus de Mellico: Canon. Eccl. S. Stephani; & Thomas de Wulderstorff Vice Cancellarius Studii Vienn. & Canonicus S. Stephani: De Facultate Juris, Magister Alexius, Officialis Curiae Pataviensis; & D. Ordinarius Magister Wolffgangus de Herzogburga: De Facultate Medicinae, Decanus, Magister Michaël Schneck: De Facultate AA. Decanus, & Magister Leonardus de Perching, mitterentur. Et per pluralitatem conclusum fuit, quòd expensae recipiantur de arca Universitatis.

Omissam tamen oportuit legationem, intellecto Cæsaris itinere, quo ad indicta Lincium comitia properabat, ut Superiorem Austriam, etiamnum Procerum dissensionibus æstuantem, componeret. Quò cùm pervenisset Cæsar, conventu dilato, Ernestum Saxonem suum ex sorore Nepotem cum 400. equis Styram mittit, eíque ex suis Procerum quosdam adjungit, præcipuè Georgium Volckendorffium, ab ejus Oppidi civibus fidei Sacramentum exacturos: Qui dum civium animos procurant; adest Georgius de Stain cum non contemnendis Bohemorum copiis, & expugnato Steyrdorffio in arcem cum 200. militibus intromissus, multa in oppidanos perfidiæ convicia effundit.

dit. Volckendorffius arduam defensionem prospiciens (nam cum milite suo, & fidissimis civibus in Parochiali templo sese communiêrat) interpositis honestis conditionibus Oppido cum suis excedit.

Inter hæc Imperii Principes Norimbergam convenerant; eò Fridericus, quòd ob domesticos motus Lincii retineretur, Pataviensem Episcopum cum potestate miserat: à Pontifice aderat Laurentius Roborella Præsul Ferrariensis. Hic luculenta oratione Principes hortatus: utì pro suo officio, ac fide imminentes à Turcis, & hæreticis calamitates profligare adnitantur. Paratos se ad id responderunt Ordines; ageret imprimis Pontifex, ut pace inter Christianos confirmatâ, suæ ditionis limites cum armis exire liceat. Legatus in id operam suam pollicitus, soluto conventu in Austriam contendens tumultuantibus Puechhaimio, Stainio, ac aliis ad se vocatis concordiam, & pacem cum Friderico suadet, obsequi nolentibus sacrorum usu interdicit.

Sacris hisce Nuntii Apostolici minis arma Cæsar junxerat. Renuntiatum enim copiarum suarum Ducem Udalricum Graveneckerum in tumultuantes ire jubet. Profectus ille cum exercitu, Styram aliquot dierum obsidione capit; in inferiorem inde Austriam appulsus, Ibiscum, vulgò Ipsium, aliáque oppida ab Austriæ Proceribus Bohemo adhærentibus insessa, expugnat, frustra in subsidium Victorino, Georgii Podiebradii filio, advolante.

Hujus in bellicæ expeditionis sumptus Viennensi urbi exactio indicta; quâ ut & Universitatem cives Viennenses involverent, eam variarum conspirationum ream ad Cæsarem detulêre. Consensu igitur Cæsaris à civibus imperatum: *Ut quivis ex Universitate de qualibet carrata musti Wiennam introducendi unum fl. solveret.* Lædi privilegia sua adeò impunè Universitas indolens, communi consilio Legatos ad Graveneckerum adornat: Legatione functi, *ex ejusdem Gravenekeri responso*, actorum verba recito, *retulerant: quomodò quædam*

 dam

dam gravis depositio, & infamatio contra Clerum, & per consequens contra Universitatem facta fuerit per Magistrum Civium, & omnes Cives, pro tunc impetrantes consensum Domini Imperatoris ad hoc, ut Clerus similiter hujusmodi Steüram solveret. Famabatur etiam, quòd laboraverint circa Imperialem Majestatem ad hoc, ut scriberet idem Domino Apostolico, impetrando rescriptum ad hoc, ut authenticè relatam Steüram Clero generaliter imponere posset. Quibus perceptis suarum Universitas partium esse duxit, non modò de objectis sese purgare criminibus, sed immunitatem veterem conservare; quod & missis ad Imperatorem Oratoribus prosperè effectum.

Interea sub Septembris initium, prima scilicet illius mensis die, Neostadii obiit Eleonora Friderici Cæsaris Augusta Conjux, Eduardi Regis Portugalliæ filia, quinque prolium fœcunda Mater; Christophori nempe, Maximiliani, Helenæ, Cunegundis, & Joannis; è quibus tamen solùm Maximilianus, & Cunegundis adultiorem ætatem attigêre; ille Romanorum deinde Cæsar; hæc Alberto IV. Bavariæ Duci desponsata.

Eodem hoc anno supremum clausit diem Gregorius Scheichl de Linz AA. Magister, & Theologiæ Baccalaureus; cui vel inde memoriam debemus, quòd manu suâ sanè pro illo sæculo eleganti plurimorum Academiæ nostræ Doctorum scripta vindicârit ab interitu, quorum non pauca extant in Bibliotheca Academica: his ipse addidit partum suum, sermones scilicet 10. in Pater noster, 15. de symbolo Apostolorum, 11. in Salutationem Angelicam, religiosus Commentator.

An. 1468.

DUm Mathias Hungariæ Rex adulto jam vere exercitum per Austriam in proscriptum Bohemiæ Regem movet, ac deditâ ultrò Brunâ, Spillbergam arcem obsidione cingit; Cæsar Fridericus sub initium Novembris res jam satìs in Austria quietas, & Mathiæ fæde-

fæderi fidendum, ratus, suscepto in Italiam itinere pridie Natalis Domini Nostri Romam venit; ubi eâ nocte, sacris Pontifice operante, Evangelium *de Edicto Cæsaris Augusti*, decantâsse fertur Sigismundi Imperatoris exemplô. Sedecim dies illìc commoratus, domum rediit. Itineris hujus causam votum esse dicebatur, quô sese obstrinxerat, quando unà cum Conjuge, & Archi-Duce Maximiliano Viennensi castro ante sexennium inclusus tenebatur. Erant, qui cum Pontifice de Bohemiæ, Hungariæque Regno; nonnulli qui de expeditione in Turcam actum fuisse meminêre.

An. 1469.

JActa quidem sunt An. 1461. Universitatis Friburgensis Brisgoæ initia ab Alberto VI. Austriæ Archi-Duce; anno tamen isto, quo literatorum Coloniæ, & statuta ex Archigymnasio nostro Friburgum deducta, eidem suprema manus addita videtur. *Initiô siquidem anni præsentis* (verba actorum sunt) *Viennam venit Magister Conradus de Schorndorff Orator, instructus literis Credentialibus ex parte Illustrium Principum, & Dominorum, Ducis Sigismundi Austriæ, & Caroli Marchionis in Baaden, nec non circumspectorum virorum, & Consulum oppidi Friburgensis in Brisgau, porrigendis Universitati nostræ; simúlq; petiturus prænominatorum nomine copias Privilegiorum, Statutorum, & Ordinationum, tam Collegii, quàm Bursarum, & contuberniorum pauperum; Unum item Doctorem in Theologia; unum in Jure Canonico; item duos AA. Magistros, in Theoria qualificatos; adjiciens, quòd præfati Principes vellent omnino suam Universitatem Friburgensem instar Nostræ instaurare, eámq; filiam Nostræ subjicere, spondeféntq; Doctoribus, ac Magistris certissima stipendia. Fuítque utrumque tandem post multas priùs Facultatum deliberationes Oratori adpromissum.*

Sub hæc accelerârunt iter Cæsaris, Româ reducis, novi in Styria motus, quorum Authores Joannes Stubenbergius, Andreas Baumkircherus, & Joannes Pes-

 nitze-

nitzerus, ob non soluta stipendia: Cæsar in Provinciam redux suos eorum conatibus obviam misit; obsessis illorum arcibus, levibúsque præliis fractis; donec reliquorum Styriæ Procerum interventu res compositæ. Pacatâ Styriâ pridiè Non. Decembris Imperator Fridericus Viennam eodem die, quo septem ante annos solutâ obsidione exierat, ingressus, insolitâ cum lætitiâ non Civium modò, sed & Universitatis ingenti plausu est exceptus.

Interea Mathias, demum Spillbergâ captâ, à Religionis Catholicæ Ordinibus Rex Bohemiæ salutatur; à Silesitis advocatus, primùm Bratislaviam, dein totam Regionem in fidem recipit; ac captum Victorinum Bohemiæ Regis filium secum in Hungariam abducit, Budæ per integrum biennium in libera custodia retentum.

An. 1470.

MOrs Georgii Bohemorum Regis, quam 22. Martij anno hoc, ùt habet Roo contra Spondanum, obijt; novos in Bohemia tumultus, & pro corona æmulos dedit. Ægriùs enim ferebat Cæsar, se inconsulto, Mathiam Regios Bohemiæ titulos usurpâsse, ejúsque authoritate, dum Romæ abèsset, excitatas in Styria seditiones, seditionúmque authores foveri. Ad Casimirum itaque Poloniæ Regem Fridericus legat Raphaëlem Lescininum Equitem Polonum in aula sua diu versatum, qui Cæsaris nomine Uladislaum Casimiri filium natu majorem ad Bohemiæ Coronam evocaret. Casimirus hoc nuntio exhilaratus, suos Viennam Legatos mittit, ictóque certis conditionibus fædere, Fridericus per Legatos suos, Oratorésque Polonos indictis Cuthnæ comitiis, Bohemorum animos, voluntatésque ad Uladislaum inclinat.

Dum hæc circa Bohemiam: Fridericus de procurandis Cælitum honoribus Leopoldo IV. Austriæ Marchioni solicitus, Oratores Romam destinat, acturos cum

cum Pontifice Paulo II. ut Austriæ quondam Principi & sanctitate vitæ, & miraculis identidem glorioso Divorum demum honores decernerentur. Cæptum jam est sacrum istud negotium A. 1357. juxta Spondanum, vel ex Bzovij Calculo An. 1358. per Austriæ Duces: sed ob belli injurias, rerúmque vicissitudines jam amplius sæculo intermissum, hoc demum anno studiosiùs resumptum. Addidêre literas suas Romam utraque ex Repub. Austriæ Proceres, & Cænobiorum Præsides: expetitæ quoque ab Universitate nostra per Reverendissimum Pataviensem literæ, quibus pondus piis votis apud Sedem Pontificiam adderetur. Nec deerat illa partibus suis, jam antehac in procurando Marchioni suo Cælitum cultu perquàm studiosa; sequentis itaque tenoris epistola ad Pontificem exarata:

Sanctissimo in Christo Patri, & Domino Paulo, Sacrosanctæ Romanæ, & Universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Domino nostro gratiosissimo, devoti Oratores, Rector & Universitas studii Wiennensis.

Beatissime Pater, Domine Clementissime, obedientiam devotissimam ad pedum oscula beatorum.

Quemadmodùm ad sanctitatem Vestram non nulli Prælati, aliiq; Domini in Ducatu Austriæ commorantes, communis vulgi, ùt accepimus, rumore, ac famâ de vitæ sanctitate Divæ memoriæ Leopoldi, dicti pro tempore Marchionis, multiplicibus miraculis refulgentis, moti, pro ejusdem canonizatione preces porrexerunt; & sanctitas Vestra rem ipsam quibusdam Venerabilibus Patribus examinandam comisit; cujus quidem commissionis executio clariùs in processu desuper habito habetur: itaque nos solius Dei gloriam, Universalis Ecclesiæ decus, & singularem sanctitatis Vestræ honorem, ac salutem incluti Ducatûs Austriæ, Diœcæsis sanctæ Ecclesiæ Pataviensis, purè ex intimis visce-

visceribus desiderantes, fiducialiter audemus provolutis genibus, totis Sanctitati Vestræ votis humillimè supplicare, quatenus hujusmodi Canonizationem de Vestræ solitæ benignitatis clementia, misericorditer ad finem perduceret optatum, ac devotæ petitioni nostræ aures paternæ pietatis salubriter inclinare dignetur: quam & Altissimus Sanctitati Vestræ divinitùs inspiret, conservans Eandem Regimini Ecclesiæ suæ sanctæ feliciter, & longævè. Datum Wiennæ 23. die Mensis Martij, Anno Dñi 1470.

Quantùm hæ cùm Universitatis, tum Austriæ Procerum, ipsius præprimis Cæsaris Comendatitiæ apud Pontificem valuerint, inde in promptu est, quòd demum annô 1485. ùt dicetur, Divus Marchio inter cælites sit relatus.

Sub hæc indixerat Patavij Synodum pro tuenda, conservandáque Cleri disciplina Udalricus Pataviensis Antistes, Dominicâ tertiâ post Pascha cogendam. Ad quam ùt Universitas nonnullos mitteret Doctores, per Officialem suum, Magistrum Alexium Tumer desiderabat: *Habitâ igitur 26. Aprilis, feriâ 2dâ in crastino Annuntiationis, Congregatione deliberatum est, an sint aliqui mittendi, & cujus expensis? Facta deliberatione delecti sunt ad Synodum Magister Paulus de Mellico, & Joannes Harrer, ea tamen conditione, ut expensæ non ab Universitate penderentur.*

Recusâsse Rectoris munus, ad quod in mutatione autumnali electus erat, Pancratium Creüzer de Traismauer Medicinæ Doctorem, acta Artist. edocent. Rogatus, ne electioni intercederet, ùt candida, & aperta illa erant tempora, die altero causas, ob quas Rectoratum à se deprecabatur, istas submisit: *1mò quòd non esset sufficiens regere tantam communitatem propter suam inexperientiam. 2dò quòd esset Lector in Facultate Medicinæ stipendiatus Principis, cui lecturæ ipsum integram impendere operam oporteret, ac exinde utili, & sufficienti diligentiâ non posset Rectoratui prodesse. 3tiò quòd ipse in Uxorem duxisset corruptam, ob quod bigamus Clericorum judex esse*

esse probiberetur, baberetúrque inbabilis Rectoratui Universitatis. His auditis allegatis, Acta continuant, *placuit communiter omnium Facultatum Doctoribus, quòd Magister Pancratius, eò quòd nollet Doctorum suasionibus acquiescere, non esset per Universitatem declarandus babilis, aut inbabilis; sed potius à Rectoratu absolvendus, & per Procuratores alius eligendus. Sícque electus est Nicolaus Ratisbona AA. & Medicinæ Professor.*

An. 1471.

UBi septimo Kalendas Junias in Bohemiæ Regem Uladislaus proclamatus erat; graviter succensuit Friderico Cæsari Pontifex, Eidem Bohemorum à Mathia defectionem exprobrans, missô etiam ad comitia Ratisbonensia, quæ ad stabiliendam Germaniæ pacem erant indicta, Legato. Verùm Imperij Ordines Cæsaris judicium secuti Uladislai electionem confirmant. Inter hæc Mathias repulsâ irritatus atroci bello Moraviam, & vicinos Bohemiæ limites vexabat, Uladislao cum 7. equitum, & 2. peditum millibus in Bohemiam ingresso, ac Regiis initiato titulis. Quò minùs in præsens plura à Mathia attentarentur, id causæ fuit; quòd eum intestini ab Archiepiscopo Strigoniensi, Quinque-Ecclesiensi Antistite, aliísque Regni Proceribus motus concitati in Hungariam revocarent.

Et timeri potuisset fulmen in Fridericum æquè, ac Uladislaum à Pontifice Paulo II., nisi is anni hujus mense Augusto, apoplexiâ tactus, mortem obiîsset; cujus loco vacantem conscendit Romanam Sedem Franciscus Ruvereus Cardinalis, Ordinis antehàc Minoritarum Minister Generalis, assumpto Sixti IV. Nomine. Dedit is proximis ab electione diebus non modò ad Imperatorem, sed & Universitatem nostram literas, quibus electionem suam significat, admodùm ab Universitate efflagitans, operã conferret, ut Imperator pacatis Christianorum rebus bellum contra Turcas susciperet. *Lectâ sedis Apostolicæ literâ coram congregata*

in

in die BB. MM. Crispini , & Crispiniani Universitate, verba actorum reddo , *in præsentia literarum Nuntii*, *grates summæ actæ sunt SS. Domino , promissæq; orationes, missarum Sacrificia , ac alia pietatis opera , quòd & Altissimus Eundem Sanctissimum Dominum in Vicarium suum assumpsisset ; datique sunt Nuntio 4. fl. hungaricales. Hunc in finem habita est etiam statio Universitatis in vigilia Simonis , & Judæ Apostolorum in Ecclesia B. Virginis ad Prædicatores ; fuit etiam præsens Dominus Leo Spauer Brixinensis cum aliis : fuit etiam Nuntius Apostolicus : item & francollatio fuit non modica , licèt plura supposita abfuissent, & pauca obtulissent.*

Cæterùm ferax erat domesticarum litium annus præsens. Obtinuerat jam sub id temporis usus , & consuetudo adeo antiqua , ùt Acta ajunt , *quòd ejus Ortus non esset in hominum memoria ; quòd videlicet Facultatum Decani instituantur , & confirmentur per præsentationem libri Statutorum , Sigilli , ladulæ , & aliorum , quæ more solito per , & apud Facultatis Decanos debent conservari.* Huic cùm contravenisset Magister Augustinus de Elbing Decretorum Doctor , Rectoratu Universitatis defunctus , latâ proscriptionis Sententiâ in obstituros , prædicta Decanatûs insignia secum pertinaciter retinebat. Inversas adeo temerè Universitatis consuetudines novus Juridicæ Facultatis Decanus , Dominus Kilianus Decretorum Doctor , unà cum inclyta Facultate Juris ægrè ferens , causam ad Universitatis consilium defert , convocatis in id quoque cæteris tribus Facultatibus ; quibus post causæ discussionem visum ; Facultatem Juris in sui manutenendam juris consuetudinarii possessione quò ad suorum Officialium electionem , institutionem , & confirmationem. Et licèt Magister Augustinus , contra latam in se sententiam apud novum Dominum Rectorem Nicolaum de Ratisbona verbotenùs interposuisset appellationem , hâc tamen per datos à Facultatibus Deputatos examinatâ , Universitas pro Facultatis Juris consuetudinaria possessione iteratò sententiam dixit. Vix

Vix illud terminatum erat dissidium, aliud Universitati intercessit cum Magnifico, ùt Acta loquuntur, Domino Alberto Marchione Brandeburgensi, Viennæ locum Principis tenente: hic ab Universitate dimitti petebat homicidam in Universitatis carcere detentum: erat isthic Baccalaureus Facultatis Artium, qui, nescio, quibus ex causis, unà cum socio in rixas delapsus ejusdem secum Codriæ incolam occiderat: fugâ unus elapsus, alter in carceres civitatis primùm, deinde quòd Universitatis è jure foret, ad ejusdem custodiam abductus est ad pleniorem usque facti discussionem. Verùm consilio Universitatis visum, *humiliter Domino Alberto respondendum, quòd Universitas à Cæsarea Majestate haberet jus in sibi subjectos.* Impetravit igitur Albertus ab Imperatore literas, quibus prædictum sibi extradi homicidam mandabatur. Traditus est ab Universitate, sed eâ clausulâ: *quòd ipsa dictum homicidam hac vice seriosis Cæsareæ Majestatis mandatis coacta absolvat à carcere.*

Utraque præterea electio Rectoris suas anno hoc habebat discordias: Ubi enim in festo Tiburcii & Valeriani Martyrum novus eligendus erat Rector, Procurator nationis ultimæ, seu Saxonicæ, (erat is Magister Augustinus de Elbing) se se stiterat cæteros inter Procuratores loco primo: reclamatum ab iis, quorum intererat; tum quòd nationi Saxonicæ locus is minimè competeret, cùm quòd laudatus Augustinus habilis non esset Procuratoris Officio, ut qui ob sua in Rectoratûs munere delicta dignitate omni esset exclusus. *Clamabat ad hæc*, verba Actorum sunt, *Doctor Augustinus: mentitum est*; movit ad indignationem omnes hæc insolentia; coactúsque Magister Augustinus non solùm veniam petere, sed & officio se se abdicare. In Procuratorem suffectus, Magnificus, & Generosus Princeps Dominus *Georgius Anhalt de Ascania*, cui reverentiæ causâ, quòd Princeps esset, tres primæ Nationes motu proprio, ut inter Procuratores primo sederet loco,

loco, consenserunt; facta tamen protestatione: *quòd hoc non debeat pro futuro in sequelam, seu consuetudinem trahi.*

Semestri altero, ipso die Divi Colomanni, in Rectorem unanimi voto designatus erat Magister Paulus de Mellico ex Facultate Theologica, qui nec electioni, aderat, nec intimatæ consensit: conclusum ergo per Facultates, *electum adhuc semel legaliter requirendum, ut electioni de se factæ consentiret, id si recuset, pœnam solveret præscriptam, ac ad novam deinceps procederetur electionem.* Precibus Deputatorum motus tandem Magister Paulus consenserat, præfuítq; quartò Universitatis Rector.

Eodem anno hoc instauratam scribit Ederus Archi-Gymnasii Bibliothecam, ad quam Sacerdos quidam, Magister Jacobus de Yban, Tyrnaviensis, 100. fl. hungaricales contulit. Mortem hujus Acta Artist. referunt ad annum 1479. ajúntque: *Fuisse virum plenum dierum, & bona sanctitate, ut qui ipse ad perfectionem structuræ librariæ manu sua lapides portâsset, ac eandem cæmento clauserit, & dealbaverit.*

An. 1472.

UT sancitâ inter Christianos Principes pace conjunctis viribus in Turcam arma sumerentur, agebat Pontificis nomine Neostadii apud Cæsarem Franciscus Piccolomineus Cardinalis, magnum Archigymnasii nostri, cujus membrum erat, nomen. Idem imperatum à Pontifice Marco Bando Cardinali, ut apud Poloniæ Regem tractaret: jámque pax quædam Fridericum inter & Mathiam convenerat, si tam facilè isthic cum Casimiro Poloniæ Rege pacisci voluisset. Vix enim aliquot mensium inducias ab se impetrari passus, ob conditiones parùm optatas, non opus esse ea sibi pace, Mathias respondit; venturum se brevi, & Calvo reliquos crines se evulsurum.

Hæc dum pacis fædera Legati procurant; Universitas in sacratioris Curæ partem vocatur. Fecerat nuper

per anno 1468. Paulus II. Friderico id postulanti, facultatem, Viennæ, in Metropoli Austriæ, Episcopatûs erigendi; cujus rei famâ ad Pataviensem Antistitem, sub cujus Viennensis Ecclesia juribus hactenus fuerat, perlatâ, omnem movit lapidem, ne suæ cum præjudicio Diœcœsis Vienna Insulis ornaretur. Quam in rem & Universitatis patrocinio utendum ratus, ad eandem dedit epistolam, cujus sequentem Acta Artist. faciunt mentionem: *Accepit Universitas à Reverendissimo in Christò Patre, Domino Udalrico Episcopo Pataviensi literam per Magistrum Alexium Turner, ejusdem Viennæ Officialem: lectâ coram congregata Universitate literâ, prædictus Dominus Officialis proposuit, petendo nomine Episcopi sui: quòd Universitas dignaretur adjungere certas Personas nomine Universitatis Ambassiatû præfati Reverendissimi Episcopi, ituris ad Cæsaream Majestatem ad Novam Civitatem, volentibus proponere Domino Imperatori certos articulos, & rationes, ne Cæsarea Majestas specialem Episcopatum erigeret in Wienna, dividendum ab Episcopatu Pataviensi.* Postulatis hisce maturè discussis, in eam ab Universitatis Consilio itum sententiam: *quòd nulli essent adjungendi nomine Universitatis; tum quòd non sciret Universitas articulos; tum quòd nihil agendum esset, quod alii non possent facere; tum ne Universitas notetur apud Dominum Imperatorem, quæ stipendia haberet ab eo; tum etiam, quòd dictus Episcopus haberet plures viros in Universitate sub sua jurisdictione, ùt Plebanos; hinc illos posset mittere suo nomine.*

Intercessit rursum electioni suæ in Universitatis Rectorem anno hoc egregius AA. & Decretorum Doctor Jacobus Hausman; causámque reddidit: *imò quòd esset infirmus pluries: 2dò quòd esset Vicarius Præpositura S. Stephani, & haberet Consistoria in hebdomada, quæ se ab Universitatis Consilio impedirent, possétque ab hoc ad alterum fieri appellatio. 3iò quòd cùm Vicarius sit, haberet vigilare in Choro.* Et quamvis primùm rationes adeo ponderosæ non viderentur, quæ eum ab officio absolverent;

rent; importuniùs tamen causam urgenti demum Universitas consensit.

An. 1473. usque ad 1477.

ANnis hisce utcumque pacatæ res Austriæ fluxêre; Friderico Cæsare exteris negotiis, bellísque detento; quæ fusiùs Roo, aliíque Austriæ Scriptores recensent. Ictâ autem an. 1475. post Novesianam cladem pace cum Carolo Burgundiæ Duce (cujus alias inter conditiones hanc fuisse ferè omnes affirmant: Mariam, quam Carolus filiam habebat unicam, Maximiliano Friderici filio desponsatam, Provinciis Hæreditariis, si nullâ prole masculâ aucta foret, successuram) Fridericus per Bavariam, ubi nuptiis, quibus Georgio Ludovici divitis Bavariæ Ducis filio Hedwigis Casimiri Poloni filia elocabatur, interfuisset, sub finem anni 1475. in Austriam cum Maximiliano profectus est: ùt Acta Facultatis Theologicæ ad prædictum annum his verbis docent: *2dâ Decembris congregata fuit Facultas ad eligendum aliquos, qui per Arengas, juxta morem, Sacram Majestatem Imperialem, & Juvenem Principalem ejus cum reverentia susciperent; & electi fuerunt Venerabiles Magister Joannes Harrer pro Imperiali Celsitudine; & Magister Nicolaus de Creüzenach pro Juvene Principe Maximiliano &c.*

Priusquam Cæsar Viennam attingeret, abrogatus est vinearum decimas per studiosos Universitatis conscribendi mos. *Invaluerat siquidem pestilentissima illa consuetudo, ut quidam, Decimatores dicti, qui jus decimarum persolutum, & insolutum conscripsêre, per cuneos, & turmas validissimis clamoribus Civitatem intrarent, atque exirent, & suis insolentiis tum suburbanos, tum urbanos, omnes denique molestarent, & qui repugnarent, ùt, proh dolor! nuper visum est, lethalibus vulneribus afficerent. In quibus turbis sæpe primò innocentes, demum nocentissimi evaserunt; neque in Bursas noctu revertentes, sed ludis, & commessationibus indulgebant.* Tantis igitur malis, ut Uni-

Universitas succurreret, habita deliberatione eam legem tulit; ne ullus Scholarium, aut Baccalaureorum operam daret scriptioni decimarum, sub pœna retardationis à gradibus: pæterea ut Conventores Bursarum suis suppositis id inhiberent, quíque monitis non obsequerentur, Bursarum contubernio essent exclusi.

Quæ domi adeo literis & morum disciplinâ florebat, exteris Oraculum veluti quoddam tum etiamnum habebatur Universitas, ad quam Communitates, privatíque perplexis in conscientiæ casibus recurrerent. Asservatur sanè in Actis Theologicis epistola bene longa ad Illustrem, Nobilémque Dominum Nicolaum de Liechtenstein de Murau, decisoria quæstionum, quas super possessione Castri Tierenstain ad Facultatem Theologicam submiserat. Alia item in Actis Philosophicis à Magistratu Norimbergensi data, quâ ex Universitate disquirit: *An Judæis venientibus ad judicium cum debitorum literis, nihil usuræ expressè continentibus, contra Christianos, debeant pronuntiare pro Judæis contra Christianos?* Responsio desuper fundatissima, plurésque per articulos discussa à Deputatis Facultatis Theologicæ confecta est, quæ documenta inter Bibliothecæ Philosophicæ conservatur.

Quòd iteratò utraque in mutatione anni 1474. Rectoris Officium, ad id electi, (erant ii Magister Michaël Lochmayr de Haydegg Decretorum Licentiatus, & Magister Martinus Heintzl de Meminga Theologiæ Professor) recusâssent, ne res mali exempli foret, ab Universitate statutum: uterque præscriptam solveret pecuniariam mulctam, aut Rectoris munus susciperent; quorum posterius longam post causæ disceptationem illi prælegêre: Ordinatum tamen, ut qui deinceps Academiæ onera subire nollent, ipso facto essent eliminati, atque ad suæ Facultatis officia, emolumentáque inhabiles.

An. 1477.

CUm Viennæ, Universitatis quoque res anno præsenti, bellorum injuriâ, fuêre oppidò perturbatæ; adventâsse siquidem anno hoc Uladislaum Viennam, atque ei à Friderico Cæsare jus Regni Bohemiæ, coronámque esse collatam, Acta Theologica apertè meminerunt: *Dominicâ Cantate*, inquiunt, *quæ est quarta post Pascha, congregata fuit Facultas super eligendo Magistro, qui Regem Bohemiæ coronandum cum Arengâ* (sermonem ea vox veteribus significabat) *susciperet; & erat electus tunc Decanus, Nicolaus de Creüzenach, qui paucis se absolvit ad beneplacitum Domini Imperatoris circa introitum Regis extra portam Civitatis Viennensis.* Cui, ut Ederus habet, quamvis ab anno aberret, Rex Viennam ingressus ornatè, & benignè respondit: hoc sibi studium longe esse gratissimum.

Regii hi in Uladislaum collati à Friderico honores novas flam̃as subdiderunt prono per sese in bella Mathiæ Regis animo. Collecto igitur exercitu rapidi torrentis instar Austriam inundat, loca passim obvia subjugat, iis, quæ munimentis fidebant, omni vi circumsessis. Has inter & Vienna ipsa (quam Bonfinius *pulcherrimas inter Barbarorum Urbes*, cui scilicet Italo omne extra Italiam barbarum, appellat) 27. hebdomadis obsidionem invicta sustinuit; cùm tandem 21. Decembris pax Fridericum inter, & Mathiam est restituta.

Quæ omnia belli hujus tempore gesta, cùm & in non communem Universitatis commendationem, & ad statuendam certissimam temporis rationem deserviant, miráque rerum varietate sint referta, audire juverit ex Actis Philosophicis fusiori calamo per Eximium virum, Magistrum Joannem Goldperger de Wiennâ, ejusdem anni semestri altero Decanum Artium, conscripta:

* Anno præsenti, videlicet 1477. Cum Fridericus III. Romanorum Imperator, ac Austriæ Dux &c.

Blad*s*-

Bladislaum primogenitum Casimiri Regis Poloniæ, de Regno Bohemiæ, ac Ducatibus, & Dominiis ad id spectantibus in urbe Viennensi infeudâsset, Mathias Rex Hungariæ ad idem Regnum jus habere prætendens, illius infeudationis occasione Cæsari bellum indixit, ac collectis copiis, ùt ajunt, circiter XX millia magnâ vi mense Julio in Austriam intulit, ac oppidum, quod Haimburgum vocant, quà fines Hungariæ spectat ad solis ortum, admotis scalis & machinis muro, primùm cominùs oppugnare cæpit, unáque ignes tectis iniicit, domos succendit. At Haimburgenses, esto incauti, nec quidam tale metuentes, agressi, viriliter resistunt, adeo, ut totam ferè diem prælium saxis,ac telis utrinque conteratur. Nam Hungari, nisi victores abire; at illi nequaquam victi superesse, contendebant. Sole verò in occasum vergente, ùt hostis se nihil proficere, & multa suorum funera è fossis efferri videt, revocato exercitu oppidum relinquit; & ea nocte propè Castrametans occisos sepeliri jubet, & vulneratos Posonium mitti, ut curentur. Deinde juxta oppidum Prug in ripa fluvii Leüta exercitum sistit. Postera die Haimburgenses secretò Viennam Legatos mittunt suppetias orantes: alioquin similem irruptionem hostium sustinere non possent. Wiennenses anxii, & sibi prospicere, & vicinis auxilia ferre, durum putant. Nam paulò antehac Cæsar, paucis militibus ad tuendam Viennam relictis, in Crembs abierat: tamen Consilii decretô noctu per Danubium pedites nonnullos cum bellicis machinis, & aliis, quibus opus erat, suppetias mittunt, quas Haimburgenses summâ cum lætitiâ recipunt; quibus freti durante bello sæpe in Hungariam excursiones facientes spolia etiam opima retulerunt. At Rex facto fœdere cum Civibus in Prug, exercitum omnem movit contra arcem Trautmanstorff, quæ ob penuriam commeatûs, & eorum, quæ Castri munitiones requirunt, mox in deditionem venit. Relictis igitur ibidem nonnullis

militibus, qui Castrum Regiæ ditioni tenerent, rursum exercitus omnis juxta Haimburg, Castrum Domini Comitis de Schaumburg, tentoria figere jubetur. Interea Rex mittit Legatos ad villas, oppida, & arces undique circa Viennam sitas, deditionem, ac jusjurandum Regi Hungariæ præstandum postulantes; qui nisì faciant, igne, & fero Regem omnia vastaturum minantur. Multa fortassis in illis oppida rèstitissent, si à quoquam homine præsidium venturum sperassent: quod cùm non viderent, insuper & hostis ipse die, noctúque partibus eorum insultaret, penè omnia circùm Viennam oppida colla subdiderunt. Ita quidem urbe Wiennensi nedum exercitu campestri, sed & oppidis, & villis, & arcibus munitis, vallatâ nusquam liber patuit egressus. Nam in Orientem, & penè ad ipsas civitatis portas Eberstorff Castrum ingens erat, & ibidem hostium manus insidias tendens. Ad Meridiem multorum millium exercitus curribus falcatis munitus. Juxta montem Wiennensem ad fluvium Inzespach Castrametabatur. Ad Occidentem versùs arces, & oppida munita in manibus hostium posita libertatem egrediendi, aut commeatum adducendi, prohibebant. Unica in Septentrionem patuit via, scilicet Danubius; ipse adhuc subservire poterat, sed breve hoc nostrum fuit solatium. Nam Rex misso quodam Bohemo ex Ducibus suis, cui nomen Selene, homine ad negotia belli tractanda ingeniosissimo, ea die 20. Augusti, dum sol in occasum tenderet, Neuburgum versùs agmen suum ducit; & in aurora sequenti insultum faciens, inferiorem Civitatem vi mox expugnat; & antequam meridies transiret, Civitas superior murô, & fossâ munita, sive perfidiâ, sive timore hostili correpta, victam sese hosti subjugavit. Nunc tandem potissima salus Wiennensibus, subtradictione Danubij, fuit adempta: sed adhuc Mediamnis juxta Wiennam, quem vulgò Werdeam appellant (*Mediamnis locus ille Insulæ erat, quam diversa Danubii*

bra-

brachia efficiunt , hodiéque Leopoldinam vocant) & pons, qui Danubium transmittit, propè Wiennam in manibus nostris erat: qui ne præsidio nobis esset; instructâ classe armatâ in Neuburgo Claustrali die 27. Augusti, ut sol oriebatur, Rex ordinatas turmas per montem Wiennensem procedere instituit, ac juxta Wiennam in oppido Mezlsdorff sistit; ubi positis bombardis saxa, & globos ferreos passim per Wiennensium suburbia spargebat: Cúmque hujuscemodi belli præludia fierent, & populus ferè omnis parum, aut nihil suspicans dolos Neuburgæ fabricatos illac concurreret, subitò naves armatæ ex Neüburgo descendentes in ripa, Werdeæ dictâ, in Töblpach subducuntur; emmissoque exercitu agmen totum usque ad pontem Danubij incedit. Nescio hìc, utrum fatum incusem, an potius nostræ Urbis Rectores, & tanquam ignavos, & rerum bellicarum prorsus expertes arguam? qui cùm certò didicissent, & sœpe admoniti, hostem hoc pacto Mediamnem capturum, neque pontem diruerunt, qui hosti venturo præsidio non esset; neque vallum, olim ad recipienda telonia ad pontem extructum, munierunt: quin imò vix tantùm temporis illis concessum est, ut vallum illud vetus, & contra vim hostium penitùs ineptum igni succenderent. Tunc etiam ad brachium Danubij, quod penè muros Civitatis alluit, in ripa, quæ Werdeam respicit è conspectu Civitatis, domos passim extructas perdidit: nostri enim timentes, ne si domus illæ superessent, hosti tuta latibula forent, quibus defensi etiam Castra sua contra Civitatis prospectum tendere possent, unà & illas subito igne vastârunt. Hostis ergo tanquam prælium commissurus, aliquamdiu moratus, tandem cùm homines nostros inter mænia, & fossas se continere, nec quemquam in se irruere vidisset, Molendinum non longè à ponte extructum capit, ac circùm castra ponit: mox securus solam urbis deditionem expectans. Ita quidem à quibusdam consultoribus, qui à Cæsare ad Re-

gem defecerant, persvasus, modó victum, & Commeatum Wiennensibus subtrahat. Neque illius rei fama tam ficti, quàm veri nuncia aberat: nam die sequenti in Castris Regiis in omnium ore erat: rem nummô denenariô vendi, quæ pridie unicô reperiri poterat. Verum tamen non prorsus illa à veritate aberat: Cùm, ùt Civitas subitò ex omni parte vallata erat, statim pistorum officinæ claudebantur, non habentes, quod pinserent. Nam etsi frumentum bona parte copiosum adesset; at Molendina non erant: itaque vulgus, quod panes singulos singulis diebus emere consveverat, haud modica fame torquebatur: adeo, ut multi per triduum nec morsum panis gustarent; donec ingenio humano suâpte naturâ in necessitatibus promptiori, plus quàm centum pistrinæ, & molendinæ fabricarentur; ubi plebs diu, noctúque laborans farinam exprimebat. Tunc nostræ urbis Rectores bellum tandem altiùs animo volventes, cæperunt munire vias inter sepes suburbiorum, sinè intermissione custodias diligentes adhibere; adeo, ut quisque oppidanorum alta nocte, & die ad custodienda suburbia consignaretur, fossas profundare, valla resarcire, quemque, ut in opere publico serveat, exhortari, quantum frumenti quisque haberet, passim per singulas domos inquirendum Cives mittere. Tunc etiam singula per Wiennam Monasteria, omnésque, quos aut privilegium, aut jus comune à tributis solvendis tutabatur, ad ferenda auxilia invitabantur. Etiam Gymnasium nostrum literarium pro mittendis quibusdam, qui fossas, & sepes munire adjuvarent, solicitabatur; ubi usq; hodie sepes, & fossas extructas ad ripam Wiennæ fluvii Stubarum portam respicientem, ubi idem fluvius Danubio miscetur, operâ scholarum restauratas cernere licet. Cúmque obsidio ista in tempus proferri videretur, multísque alimentum exiguum esset, paulatim & scholares, & mechanicæ artes, operarii, & reliqui in nostra urbe peregrini, catervatim non sine periculo gravi noctu per media hostium Castra exeuntes, alibi

sibi

ſibi proſpiciebant. Multi etiam ex illis in manus hoſtium incidentes captivi ad dandas pecunias cruciabantur. Omnis quoque totius Wiennæ campanarum pulſus vetitus erat, quo nec hoſtes ad certos diei, aut noctis pulſus in caſtris ſuis interſignia ſibi conſtituerent, quo etiam noſtri ad unius Campanæ ſignum, tanquam nuntium certiſſimum, mox ad arma, & mœnia tutanda ruerent. Addidit inſuper hoſtis viribus fraudem, ut quos impetu ſubmittere non poſſet, ſaltem dolo victos caperet. Novit quidem vulgi inclinationem ancipitem, & ad auræ cujuſvis impulſum præcipitem, quo permotus plebi, quæ exercitum adhuc non viderat, in eo curruum & Caſtrorum apparatu, ùt fieri ſolet (nam exercitus totus ſub monte Wiennenſi latitabat) aperta Caſtrorum inſpectione timorem injicere ſtudebat. Eſt autem juxta Wiennam in via, quæ ad Neüburgum Clauſtrale ducit, campus quingentorum paſſuum ſtratus, planè ad proſpectum undique patens: illac exercitus unus traducitur ex monte Wiennenſi, ut contra Civitatis proſpectum tentoria erigat, interpoſitis curribus (ùt fieri ſolet) qui omnes rubrô tecti erant, quo magis militibus noſtris ſtuporem inducerent. Ea quidem res oculis noſtris objecta, ingentem ſubitò extructam fuiſſe Civitatem, argumentum erat; at quo cujuſquam animum (ùt hoſtis commentatus erat) conturbaſſet, audivi neminem. Alia denique uſus eſt fraude, quo magìs timor, aut diſſenſio in Civitate oriretur; ut cujuſque conditionis, & ſexûs homines ad nos ſubmitterentur, paſſim Regem exitium extremum minari, omnia vaſtare, Templa diruere, & à fundo omnia vertere, prædicarent, niſi in tempore nos dedamus. Quidam quoque ex Ducibus regiis, & his, qui ad eum defecerunt, Magiſtratui, Mercatoribus, & plebi literis ſuis perſuadere nitebantur, ut electis quibuſdam, qui Regem in Caſtris adirent, & de pace, ac concordiâ agerent, ſe in ea re fidiſſimos fore adjutores, ne tam inſignis Civitas to-

 to ter-

to terrarum orbe celebrata, Principis sui negligentiâ periret: nam Regem in Castris esse potentissimum, ac jure jurando statuisse, nisi Urbe capta, hinc non discedere: cæterùm Principem Civitatis abiisse; perpaucos reliquisse Rectores utiles, tum nullum à quovis præsidium venturum; indies magis sese exedere: convenire ergo, & quidem absque alicujus fidei violatione, ut priusquam Regem in rabiem vertant, sibi, Civitati, bonis, liberis, ac uxoribus suis prospiciant. At Magistratus, & tota urbs cantus illos Callidè sapiens, haud eis aures præbuit; neque literis, & suasionibus suis quidquam respondit; sed, prout fortissimos viros decet, adhuc extrema omnia passuros, quàm se hosti victos dedere, statuerunt. Siquidem si hic locus esset, & mihi quoque vena ad scribendum pinguior, non sinerem, quin summis laudibus hanc clarissimam Wiennam extollerem, quæ etsi antehac celebris sit hac tempestate tamen nobilissimam sese reddidit, & Principibus Austriæ (nisi prorsus delirare velint) charissimam. Sola namque hæc urbs Ducum Austriæ hæreditatem, ne inter alienas raperetur, conservavit. Reliqua enim omnia, & castella, & Urbes, quæ adhuc in manibus Regiis non erant, solius Wiennæ fortunam spectabant; ad illius auspicia & sua regi vela cogitantes. Quid dicam incredibilem Civium patientiam, summam paupertatem, ùt qui paulò ante ferè usque ad medullam emansi erant? quid commeatum, qui penè deficiebat? quid noctes insomnes, quibus ad tutanda suburbia invigilâbant? quid juvenum catervam, quæ crebrò usque in Mediamnem hostem persequebatur? quid de Gymnasii nostri Regentibus, qui ne unum quidem actum scholasticum omiserunt? quid Religiosorum, Sacerdotum, & Matronarum devotas ad Deum preces, processiones per templa continuatas, ac totius populi summam concordiam, & Ducibus suis, quidquid in hostes fieri imperarent, obsequentissimi? & quod omnium majus est, ex nullâ mun-

mundi plagâ ventura auxilia ? sed posthabitis suis omnibus, ùt fidissima Ducum Austriæ camera, quò suo Principi fidem inviolatam servaret, usque ad necem decertare voluptatis loco habuit. Nempe sœpe visum est, ùt populus Campanæ signo ad arma concitatus, apud Duces suos importunè instaret; modò, ut in Mediamnem emitterentur (illic enim Rex ipse castrametabatur) sese experiri vim hostium, velle; illic vel omnes mori, vel lætam absque dubio referre victoriam. At Duces eventus belli magìs, quàm vulgus, sapientes, nunquam precibus populi assenserunt; quo etiam sœpe improperiis, & contumeliis affecti sunt, tanquam pusilanimes, aut qui Principi suo haud satìs fidi essent. Sed redeamus unde digressi sumus. Rex tandem, ut vidit se neque viribus, neque fraude animos Civium infringere posse, quin imò indies gravioribus damnis se affici; neque tamen audere virtuti suæ, ut cominùs pugnando non ipsa urbis mœnia, sed neque sepes, & suburbia nostra aggrederetur; decrevit relinquere Givitatem, & alia, que minori egerent virtute, oppugnare oppida, nihilominùs posito vallo juxta pontem Danubii firmissimo, & circùm relictis militibus in Castellis, & villis, qui ne commeatus adveherentur, vigiles intenderent; sperans hoc pacto, inediâ Civitatem sese confecturam. Transmisso itaque exercitu Neüburgum Forense, oppidum fosŝâ, & muro inter Civitates Austriæ, quæ trans Danubium situantur, munitissimum impetit; quod, & paucis diebus exactis, nec non & Tulnam, potestati suæ subegit: hic infaustus vicinæ Civitatis eventus, haud parvo Wiennensium animos timore perculit, cùm hoc præsertim Neüburgum Forense oppidum insigne captum esset, verendum esse, nè tota Austria cladem patiatur. Rex hâc victoriâ ampliùs ingrassatus, mox exercitum contra Krembs, & Stain movit: sed is à quartâ Octobris illic usque in 22. Decembris, & machinis, & bombardis, & omni genere belli laborans,

mu-

muros, & turres diruendo, etiam Civitatem Krembs meatu ſubterraneo ingredi ſperans, ad hoc efficiendum multa ruſticorum millia ad fodiendum compellens, prorſus omnem operam fruſtra exegit: Nam urbes illæ Wiennenſium exemplô animatæ, quæque adverſa fortiter ſuſtinentes haudquaquam vinci potuerunt. Interea dum hæc fierent, quamvis res belli Regis nutu gradi viderentur, tamen nihilominus Rex Caduceatores ſuos ad Cæſarem mittit, in quos omnes ſuam transfert auctoritatem; ut quidquid firmarent, tanquam à ſe geſtum, ratum teneretur. Illi ergo legationem obeuntes apud Cæſarem, tandem certa pacis fœdera pacti ſunt, utrimque inviolabiliter obſervanda; confectíſque literis, & munimentis utrimque, per totam Auſtriam 21. Decembris pax clamatur, exercitúſque omnis campeſtris ſublatus in Moraviam, & terras ſuas transfertur. Caſtella verò, & Civitates, quæ Regi coactæ ſunt profiteri, tandem rurſus Cæſari reddi debuerunt; cùm Inſcriptio pro centum millibus florenorum Regi ſub certa conditione præſtandis tradita fuerit. Nam ita quidem per Caduceatores Regis, & Cæſarem, dum pax conficeretur, pactum erat. Ille eſt eventus belli, quod hac tempeſtate miſeram Auſtriam contrivit; adeo, ut ne ulla quidem memoria extet, quæ antehac unquam hanc Auſtriam tam gravi clade fuiſſe oppreſſam teſtetur. Deus Omnipotens concedere dignetur, ut ſaltem modò poſt mille labores, & inexhauſta belli pericula feſſos quieſcere ſinat. *

Hæc Joannes Goldperger Scriptor Actorum Synchronus. Fabellis igitur accenſendum potiùs exiſtimo illum vulgi rumorem, quo, neſcio cujus fide, Matthiam Regem Obſidionis tempore Viennam exploraturum ignoto vultu ingreſſum, atque in Caupona, abinde ad 3. Corvos dicta, hoſpitâſſe; proditúmq; haud obſcuris ſignis, Rotæ currulis, quam ante ſe gyrabat, beneficio per Urbis portas elapſum ferunt. Cujus certè melioris notæ Scriptor meminit nemo; nec, ſi quid

veri

veri ſubeſſet, qui minimos rerum geſtarum apices recenſet, prælaudatus Goldp[illegible]er prætermiſiſſet.

Cæterùm tam licentioſæ ab Hungaro in Auſtriam irruptionis cauſa, neglectíque à Friderico ſubſidii non poſtrema fuit, ſeu quòd, ùt nonnulli cum Bonfinio prodidêre, Viennenſium Fridericus nuper in ſe Viennæ obſidendo perfidiam ulciſci eo pacto vellet; ſeu quòd Maximiliani filii ſpem, ac fortunas minimè negligendas ratus, perficiendum ejus cum Mariâ Burgundicâ matrimonium domeſticæ ſaluti præhabuerit; quod & proſpero planè eventu eſt conſequutus; cæſo enim anno hoc nonis Januarii à fœderatis Helvetis, ac Lotharingiæ Duce Renato ad Nancæum Carolo Burgundiæ Duce, relicta tot ditionum hæres unica Maria, fruſtra armato Gallo eam pro filio ſuo procante, Maximiliano nuptiali fædere 13. Kal. Septembris Gandavi jungitur, eo apparatu, quem rerum, ſponſæq; conditio exigebat: quo ex connubio Domui Auſtriacæ Burgundia cum ſeptemdecim Belgii Provinciis accrevit.

Anno hoc eodem, ùt Jacobus Middendorpius ſuis in Academiarum libris habet, Tubingenſis Academia ab Illuſtriſſimo Wirtenbergæ, Mompelgardiæque Comite, Domino Eberhardo Barbato, hortatu Illuſtriſſimæ Matris Mechtildis, & Patrui Ulrici auxilio, authoritate Sixti Pont. & Friderici Cæſaris, incæpta, atque fundata eſt. Primum Univerſitatis illius Rectorem, ac Cancellarium præfuiſſe Joannem Naucleтum idem Middendorpius refert.

Vivere hoc anno quoque deſiit, Hundio teſte, Bernardus de Kraiburg, quem Ederi Catalogus præpoſterè de *Rayburga* compellat, Nobili apud Carinthos familiâ natus, in Univerſitate Viennenſi Canonum Doctor creatus; Salisburgenſes inde inter Canonicos translatus, & literis, & virtute Chiemſeenſes Inſulas commeruit.

An.

An. 1479.

UT anno Superiori Chiemseensi, ita præsenti orbata est Universitas Pataviensi Episcopo, quondam alumno suo; Reverendissimo scilicet Domino Udalrico Nusdorffer; fuerat is Friderici Imperatoris simul Cancellarius, Academiæ nostræ, in qua literis, & literarum honoribus est excultus, commodis, & ornamento nunquam non studiosus. Quem non longo post intervallo insecutus est Reverendus ac Excellens vir Paulus de Mellico, Theologiæ Doctor, & Professor in hac Universitate, ùt eum Schönleben compellat, Fundatissimus, ad S. Stephanum Canonicus, ac quater Archigymnasii Rector, relictis dilucidis super Ecclesiasticum Commentariis etiam post mortem clarus.

An. 1480.

PAce Universitas cum Austriâ fruebatur non diu, Mathia Hungarorum Rege armis Turcicis implicito: cùm renovatum est in Austria hoc anno bellum eâ, quam nonnulli allegant, causâ; quod pactam in nupero fædere pecuniam Fridericus nondum exsolvisset. Quare in Styriâ Mathias Mariæburgum obsidet, à Cæsareis tamen mox libertati assertum. Petovium inde, & Rakerspurgum capit; sed quòd eo tempore Turcæ Transylvaniam pervastarent, Mathias cum Cæsare inducias paciscitur, quas eò promptior iniit Fridericus; quòd miles Germanus submittendus esset filio Maximiliano bellis Gallicis, & factionibus Belgicis occupato.

Dum induciæ, procurante Prospero Asculano Pontificis Legato, sanciuntur; graves subortæ sunt de Pataviensi Episcopatu factiones; quibus componendis Universitas arbitra expetita est. Ab obitu enim Udalrici Pataviensium Canonicorum suffragia in partes scissa erant, quòd Fridericus Imperator pro familiari suo Georgio Häslero Ecclesiæ Romanæ Presbytero Cardinali; Georgius verò Bojorum Dux pro Doctore quodam

dam legum, Friderico Mauerkirchero Bavaro Aulæ ſuæ Cancellario intercederent; Populus, Senatúsque Pataviensis â Friderici Imperatoris partibus ſtabat, potiori, ùt Hundius memorat, Canonicorum numero Bojarii Ducis factioni favente. Quare cùm Georgius Cardinalis Wiennæ tunc adeſſet, *convocatis pridie Kal. Julii*, ùt Acta noſtra docent, *Rectore, ac Senioribus omnium Facultatum, jura ſua ſuper nominatâ Eccleſiâ proponebat, legique eis coram curavit plures literas Sedis Apoſtolicæ.* Similiter autem, & Oratores per Capitulum electi Domini Friderici Mauerkircheri ab Univerſitate audiri volebant: auditis utriusque partis juribus, omnibus quatuor Facultatibus viſum: *Ne ſe quovis modo Univerſitas in hoc negotio intromitteret. Reſponſúmque partibus: Univerſitatem nullo modo de juribus eorum velle diſceptare, nec definire.*

Fuit Reverendiſſimus hic Georgius Häslerus bonis artibus in Univerſitate noſtra excultus, ac Romæ rude donatus. Inde digreſſus Friderico Cæſari eruditionis præſtantiâ variis in muniis, legationibúſq; adeo ſe probaverat, ut eidem demum anno 1477. à Sixto Pontifice Cardinalatûs honorem impetrârit. Præfuit Pataviensi Eccleſiæ ad annum uſque 1482. quo negotiorum causâ Wiennam à Cæſare vocatus, cùm Danubium lintre tranſmitteret, naufragio periit 14. Septembris. Cadaver nona poſt die undis ſupernatans propè Wiennam inventum, ibidem in Eccleſia B. Virginis *de Ripa*, quæ nunc *ad Scalas* dicitur, honorificè eſt tumulatum.

Dum lis ea de Pataviensibus Infulis fervebat; Eccleſia Viennenſis ad D. Stephani, quæ ab anno 1360. Collegiata fuit, anno hoc authoritate Apoſtolicâ Cathedralis, obtentis jam antehac erectionis à Paulo II. 1468. aliis item à Sixto IV. anno 1475. literis, eſt publicata; atque non Vienna minùs, quàm Univerſitas à juriſdictione ſacra Pataviensis Eccleſiæ exempta. Juverit hac ſuper re audire Acta Facultatis Artiſt. *In vigilia*, ajunt, *S. Mathæi coram congregata Univerſitate expo-*

exposuerunt Oratores Cæsareæ Majestatis, quòd Dominus Imperator omnino vellet, ut in futurum tota Universitas, & singula ejus supposita, pro Ordinario suo recognoscerent præficiendum Ecclesiæ Viennensi, quæ Dominicâ præcedente cum magna solemnitate pro Cathedrali erat promulgata juxta tenorem Bullarum Apostolicarum. Erat tunc solemnis processio; cui & Universitas interfuit ad desiderium Cæsareæ Majestatis eo modo, quo interest processioni in die Corporis Christi. Proposuerunt item præfati Oratores, & volebant nomine Domini Imperatoris, quatenus Universitas demandaret his, qui in causis quibusdam patrocinati sunt in Consistorio Pataviensi, ut in futurum ab hujusmodi desisterent in Vienna; coram tamen Officiali Ecclesiæ Viennensis id facere possent, & in ejus Consistorio. Hæc posteaquam sunt proposita, Rector ad quorumdam consilium statim respondebat: quòd Universitas velit, sicut debet, obtemperare desiderio Cæsareæ Majestatis.

Primus itaque omnium anno hoc à Friderico Cæsare urbi Viennensi, atque Ecclesiæ Antistes datus est *Leo de Spauer*, dignus eo honoris gradu, tum ob generis in Tyroli splendorem, tum ob insignia virtutum, ac Doctrinæ decora; qui sub ea tempora Curionis non procul Vienna munere fungebatur. Certè eum sub hosce annos Viennâ haud procul commoratum, vel inde patet; quòd ad annum 1470. institutis post electionem Sixti solemniis interfuisse ab Actis nostris memoretur.

Eodem hoc anno nominatum à Friderico Cæsare primum Cathedralis Capituli Præpositum, Thomam de Cilia, in Constantiniensi Ecclesia eadem dignitate fulgentem, tum Actorum Facultatis Philosopicæ liber, cùm vetustæ Canonicatûs Viennensis tabulæ edocent. Et quoniam hæc non parùm ad Historiæ nostræ Conspectum faciunt, libuit communicatum mecum â Reverendissimo & Magnifico ad D. Stephani Canonico utriùsq; inaugurationis documentum isthìc recitare.

Anno

Anno Domini millesimo, quadringentesimo, octogesimo, decima septima die Sept. quæ erat Dominica sexta decima post Pentecosten, & celebris etiam S. Lamperto Martyri, & Episcopo Traject: coram Reverendissimo in Christo Patre, & D. Alexandro Forliviensi Episcopo, & Sedis Apostolicæ cum potestate Legati de latere Legato; coram & alio Legato, qui gratiâ Salzburgensis Ecclesiæ missus fuerat, celebrata est publicatio Erectionis Ecclesiæ Collegiatæ nostræ Wiennensis in Cathedralem hoc ordine: Alexander Legatus, ubi indutus est, cum 16. Diaconibus, & toto Clero, & populo, se posuit super sellam ante altare summum, alium Legatum secum assumens ad latus non indutum vestibus sacris; postquam per Notarios, in præsentiâ Consiliariorum Serenissimi Domini Imperatoris Friderici III. requisitus est ad publicandum Apostolicas Bullas: eis acceptis reverenter, per suum Scribam eas clarè, & publicè legi fecit ad laudem Dei, & honorem Imperatoris. Dein requisitus iterum ad instantiam Notariorum pro D. Thoma de Cilia, ut eum Præpositum dictæ Ecclesiæ declaret nominatum, & admissum; quod & factum est. Dein surgens Legatus processionem per Ecclesiam, & urbis bonam partem celebravit, sequentibus Episcopo Strigoniensi, tunc Administratore hujus Ecclesiæ, & Legato Apostolico alio, & Baronum, & Procerum nobili Catervâ. Universitas quoque à latere processionis Ecclesiasticæ in Scholaribus, Baccalaureis, Magistris, atque Doctoribus ornatissimè incessit. Et ei processioni de mandato Principis omnes Religiosorum ordines devotissimè interfuerunt. Et ubi reditus ad Ecclesiam factus est, jussit ambas Bullas, quæ ex utraque parte per Notarios publicè portabantur, ad valvas portæ Aquilonaris sub turri nova affigi: deinde ad altare summum Missam de Spiritu S. Solemnissimè decantavit.

An. 1481.

UT erecto ab se An. 1468. quemadmodum ex Bulla Pauli II. docet Papebrochius, militari D. Georgii Ordini Cæsar Viennæ de domo prospiceret; Univer-

versitati dat in mandatis, *quatenus*, verba Actorum refero, *illa ad hoc conaretur apud Abbatem S. Crucis Ordinis S. Bernardi, ut nullum præstet impedimentum suæ Cæsareæ Majestati, quantùm ad Domum, & Capellam* S. *Nicolai Wiennæ in Singerstraß situatas, quo minùs sua Majestas eandem domum tanquam sibi debitam, & jure cedentem occassione negligentiæ Coṁendatorum ejusdem, quietè accipere posset, atque cum ea constituere, quomodo vellet. Fecit Universitas per deputatos, Rectorem nempe, Decanos, & Procuratores satìs officio suo; consecutáque est Imperatoria Celsitudo præfatam domum. Quam Imperator tradidit, nescio qua conditione, Nobili, atque quàm pæstantissimo Domino Joanni Sübenhierter, Ordinis Militaris S. Georgii Magistro; accepítque idem D. Sübenhierter possessionem ejusdem in præsentia prædicti Abbatis, & plurimorum nobilium Virorum.*

Causa porro instituendi laudatum ordinem Friderico fuit, quòd Turcæ per illos annos non semel hæreditarias Provincias, Styriam, Carnioliam, Carinthiámque repentinis incursionibus pervastâssent; quibus reprimendis Ordine illo nihil opportuniùs visum. In Sedem Generalis Magistri Millestadium Carinthiæ anno prædicto 1468. attribuit; Religiosis D. Benedicti, quorum illud erat cænobium, per alia ejusdem familiæ domicila dispersis. Nec Millestadiensi tantùm Domino potiebatur Equestris hic ordo; sed & splendidis Carinthiæ castris Sterenbergâ, & Londscronâ: in Austria item, si fides Lazio, Trautmanstorffio, Scharffeneckio, Petronello, aliísque alibi fundis. Equitum ac Sacerdotum ordinem ipsum conflantium Insigne fuerat Crux Rubea, quam quovis Sabbatho, & festis Deiparæ diebus supra vestem albam gestabant. Primus Generalis Equitum Magister, ùt author vitæ D. Domitiani habet, fuit Joannes Sübenhierter, quem, successoré́sque *Principis titulo* Cæsar honestavit. Intepuit tamen brevi, nec multum extra sæculum excurrit isthoc institutum; nam ordine illo vel inter bella

extin-

extincto, vel infectis Lutheri dogmate Provinciis, illo quoque evanescente, ejusdem bona, & reditus ab Austriæ Archi-Ducibus in alios translati sunt. Plura de Ordine illo benevolus Lector in Actis Sanctorum Papebrochii, & in Germania Austriaca reperiet.

Anno hoc eodem juxta Ederi Catalogum, aut si fides major Middendorpio, An. insequenti Moguntina Literarum Academia â Dietrico Isenburgio, ejusdem Archi-Præsule, est erecta. Anno subinde 1501. statutum, ait, ab Universitate illa: ne quis ad Scholasticos honores admittatur, qui de Conceptione Beatissimæ Virginis juxta Basileensis Concilii sanctionem non sentiret.

An. 1482. usque ad 1485.

ET Austriæ, & Universitatis res triennio isto sanè fuêre afflictæ; cùm non tam bello, quàm belli metu, grassante lue pestifera, atque consecutâ rerum omnium difficultate Academiæ alumni aut morte absumerentur, aut alio dilapsi essent, quòd literis parùm comodè vacarent; recrudescente enim rursus Mathiam inter, & Fridericum bello, hyeme exeunte An. 1482. validus exercitus Austriæ infunditur; ac primùm rursus Haimburgum obsessum; quod multis suorum perditis Mathias tandem expugnat. Interea Imperator contermina præsidiario milite obfirmat oppida; Leüthapontem præcipuè, & Korneoburgum, quæ duo veluti Viennæ brachia habebantur. Mathias ne tempus tereret, Leüthapontem præteriens, vicinis Viennæ Regionibus militem, stragem, & terrorem infert. Et tentâsset Viennam, ni sæviens jam hyems Hungarica in hyberna copias revocâsset.

Vix Ver anni 1483. redièrat, exercitum in Austriam redúcit, jubétque Stephanum Hazy Leüthapontem infesta aggredi obsidione; quam demum post quatuor ferme mensium incredibilem obsessorum virtutem armata manu cæpit. Primo furore non mediocriter in oppidanos sævitum: Cæsareus miles in arcem con-

confugerat, quam post toleratam mensis unius obsidionem tradere, inediâ magis, quàm armis, coactus est. Toto itaque ferè anno obsidio Leüthapontis Pannonicas lacessivit vires.

Belli hujus seriem, miserámq; Viennensium conditionem Annales Theologici his verbis annotârunt: *Superiori anno, nempe 1482. oppido Haimburgo per Regem Hungariæ tota æstate obsesso, & circa festum Michaëlis obtento (nam famis necessitas illos ad deditionem urgebat) statim posthac milites erga Viennenses adornat, & montana circumquaq; occupat; ad S. Vitum etiã opprimit: nam Castellanus se continere diffidebat; hoc fortissimè munit fossis. Orientem ergo versùs nos regno suo, & munitionibus Rex Mathias premebat: nam Civitatem quoque Baadn in deditionem accepit, quâ erga Meridiem nos impediebat. Ad Occidentem, & trans sylvam habuit S. Vitum, & Civitatem S. Hyppolitum; cujus aggerem altiorem muris extulerunt, ubi totius exercitus sui Princeps Thobias de Zernahora Moravus residebat. Habuit Rex eam Civitatem per deditionem, & impignorationem ex Capitulo Pasaviensi, quod Cardinali, & Imperatori erat contrarium, & Electo adhærebat. Habuit ex eadem causa, & Mauttern ad Danubium sitam urbem veterem: ex qua munitione facta census aureus Danubio imponitur; & hominibus descensus recluditur acerrimè. Ex parte verò Aquilonari, unde Wiennensibus frumentum adducitur, habuit per deditionem Civitatem Enzestorff, fortalitium in Stockerau, atque apud Neoburgum Tritici, sive Forense, in Tuttendorff fortalitium. His ex locis conatur Rex Wiennensibus famen inferre (nam sitim vix poterit) verùm ejus conatus non penitùs frustratur: nam panis, qui olim tribus venibat numis Wiennensibus, nunc viginti vix emebatur; deinde etiam libra carnis plus quàm quadraginta numis mercabatur; vitulina, & agnelina incomparabilis, de quo mirari non sufficio. Multus populus in diem vivens obiit. In Moraviam, Bavariam, & aliorsum vineæ, quod mirum dictu! per Huldam ducuntur, & præstatione florenorum aliquorum de aliquot vineis per Huldam, hoc est sceduscedu-*

scedulam quamdam cum caractere signatam, utitur; qui caracterem hunc non habuit, captus abducitur, se defendens occiditur: mulieres, & virgines spoliantur in vineis; vineæ verò incultæ manebant in anno præfato, in quo copia vini fuisset uberrima, ac super quàm necessaria; Scholares verò, & discipulos superioris anni pestis fugârat: Mansisset & ex eis nullus, nisi de proximo gradum sperarent. Accessit ex novellis nemo, sicq; desolata insuppositis elanguit Universitas, in Doctoribus tamen, & Magistris satìs copiosa.

Vienna undique ita hoste circumsessa, exhausto quo ærario laborabat; quod ut ad solvenda stipendia augeret, ab Universitate etiam, non jure, sed pietatis titulo subsidium exorat: nec defuêre Facultates, quamvis & illis hoc tempore parum esset prospectum: contribuit siquidem Facultas Theologica 15. Juridica 6. Medica 7. Facultas Artium 50. fl. Hungaricales, hoc tamen pacto: ut impensæ hæ Facultatibus à Consilio Universitatis suo tempore ex pœnis Suppositorum redderentur.

Interea nec deerant Superioris Austriæ Proceres, atque nonnullæ ad Danubium sitæ urbes, qui instructis navibus, & per medios hostes Urbi fame laboranti, omníque commeatu interclusæ succurrerent. *Nam cùm vicinæ civitates*, Actorum verba reddo, *egestatem, pressurámque Wiennæ undique hoste circumcinctæ non ignorarent, maximè Stain, & Khrembs, Baronésque supra Onasum, nostræ inediæ succurrere volentes, mirum in modum (quod usque ad nostra tempora invisum est) naves ad bellum plurimùm aptas disposuerant, onustas bladis, farinâ, segimine, pernis, aliisque plurimis ad vitæ sustentationem necessariis, numero sedecim. Inimici verò idipsum sentientes, totis se viribus opposuêre, quò naves prædictæ ad nos haud quaquam pervenirent. Habebant namque fortalitium in Danubio penes Stockerau. Fuerant & tunc Bombardæ parvæ, mediocres, item maximæ in variis locis, ubi nobis ampliùs nocere poterant, prope aquam positæ; & maximè prope Neoburgum Forense, ubi tunc exercitus hostium positus fue-*

fuerat cum variis machinamentis. Neoburgum quoque Claustrale tunc item nobis infestum erat. Verùm ingenium contra ingenium in hostilibus rebus agitatur indies; qua de re tres ex illis, quas commemoravi, naves in magna quinta Feria sese paraverunt itineri, rei exitum fortunæ committentes; quæ dum prope usque Neoburgum Forense salvæ pervenissent; una ex illis, major inter cæteras, passa est jacturam non mediocrem; ordinavit namq; hostium dolositas suas machinas in modum crucis contra nostros; ita ut sine læsione transire liceret minimè. At ubi nostri eum locum pertransire vellent, illi sua jacula in eos cruciatim, & item transversaliter trajicientes, peremerunt quatuordecim personas, miserabiliter eas lædentes; ita ut in frusta eas bombardarum jaculis comminuerint, in morem avicularum hinc inde volitantia in aëre, sparso in remis sanguine, ùt cernere horrendum esset. Reliqui tamen Wiennense littus attigêre ferè propè horam septimam magnæ Sextæ Feriæ in manè, in quarum occursum in Mediamnem se receperunt Wiennenses non mediocriter armati.

Non defuêre Facultates, Artium potissimùm, quin, futuram rerum egestatem prospicientes, sibi, suísque alumnis providerent: Ex advecta igitur navibus farina tres, quatuórve modios Facultas Artium emere parabat: at à Magistratu Civium prohibita; cùm metretis, nedum modiis comparandam diceret farinam, ne egenis ea quoque deficeret.

Erat interea etiamnum in fide Cæsaris Korneoburgum; quod ubi Hazius obsidione urgere pergit, Cæsar periclitanti collectas ex Noricis, Vindelicísque copias submittit: at non tam justo certamine, quàm velitatione congressis, germani non parva sui strage repulsi, in vicina Oppida sese recepêre: Hazius dum assultum adornat, glande ab obsessis emissâ, interiit. Cùm demum fame adacti deditionem fecêre Korneoburgenses.

Tametsi jam anno 1480. Thomas de Cilia Præpositus ad D. Stephani Cathedralem Ecclesiam nominatus esset, Cancellarii tamen munus ab anno 1477. ad annum

annum usque 1482. à Reverendissimo Joanne Strigoniensi Archi-Episcopo, ac deinde, ut dicetur, ad Salisburgenses Insulas translato, administratum esse, Acta Philosophica meminerunt: Dum per laudatos annos ejusdem Archi-Episcopi authoritate cancellos promovendis ad supremos literarum honores fuisse apertos affirmant: id quod deinde anni 2483. initio, die scilicet 2da Januarii, Licentiâ Bernardi de Rohr Viennensis Episcopatûs Administratoris præstitum insinuant. Cùm itaque anno 1484. 2da Januarii Candidati pro Magisterio Artium præsentandi forent; duo sese Vice-Cancellarii obtrusêre, Andreas de Pottenbrun, se ad id à Thoma de Cilia denominatum, & Joannes Kaltenmarcker id muneris sibi delegatum à Reverendissimo Bernardo contendens. Re ad aures Cæsaris delatâ, congregatæ in Vigilia Epiphaniæ Universitatis Superintendens Ægidius Schattauer literas Cæsareæ Majestatis adfert, *in quibus cavebatur: quòd Universitas D. Præpositum, Magistrum Thomam de Cilia pro Cancellario, & sequentes Præpositos Ecclesiæ Cathedralis Wiennensis, & nullum alium deberet recognoscere.*

Sub hæc vix quadriennali felix connubio, an. 1482. Maria Burgunda, Maximiliani, ea tempestate bello Gallico, pacandísque Belgis distenti, Conjux lectissima, vitâ excessit: cùm in venatione equo lapsa, fracto fæmore, omnem tractationem partis affectæ per verecundiam refugeret; Provinciarum hæredibus Philippo, & Margaretha relictis.

Eandem binos post annos, nempe 1484. insecutus est Sixtus IV. Summus Pontifex Idibus, Spondani ex calculo, Augusti: cui 4to Kalendas Septembris à Cardinalibus sublectus Joannes Baptista Cibo, sub Innocentii VIII. nomine. Quo is in Archigymnasium nostrum animo, quantæ hoc ei existimationi, ex iis, quæ ad annum 1490. dicentur, palàm erit.

Fundatam circiter annum 1484. Ederus meminit, *Bursam Pauli*, sic dictam à Fundatore suo Magistro Pau-

Paulo wan de Kennrat, Theologiæ Doctore, Ecclesiæ Cathedralis S. Stephani Canonico, ac Verbi Dei Encomiaste diserto: scripsit quoque non pauca, quæ in unum collecta codicem, in Bibliotheca Academica asservari dicuntur: Vendita, certis de causis, sub annum 1518. hæc Bursa, aliáque coëmpta domus, quæ abinde *Bursa Gentium*, seu *Haidenheimb* appellari cæpit.

An. 1485.

AD ultima demum fata res Wiennensium, urbísq; status recidit: nam sub novi Anni initia urbem Mathias arctiùs circumcingi, omnésque submittendæ annonæ, commeatúsque vias intercludi jubet. Tenuit hæc circumvallatio ad Aprilem; cùm admoto urbi validiori exercitu acriùs obsidionem urgere, atque expugnandæ Viennæ ipse præsens adesse, institit. Et res Viennensium accisæ tantùm jam erant sub medium Majum, ut capto suburbio Stubensi, extrema, Viennensibus fame propè pereuntibus, hostis minaretur: In macellis siquidem equinam carnem venum propositam multi scribunt; nec à muribus, & fellibus Cives abstinuisse. Destituti itaque omni Spe, ac subsidio cives deditionem dum meditantur, ad Universitatem præprimis recurrendum rati, ex cujus consiliis rebus suis prospicerent.

Decimâ tertiâ Maji, inquiunt Acta Artistica, *fuit congregata Universitas ad lamentabile desiderium Dominorum Civium Wiennensium; cùm namque Dominus Rex Hungariæ Mathias Sturmali vi partem suburbii Stubensis obtinuisset, videlicet Monasterium S. Nicolai, & suburbium usque ad lapideum pontem; ibidem Domini Cives timore perterriti, Universitatem, & simul Prælatos Wiennenses orant humiliter, quatenus pro bono, & conservatione universalis Reipublicæ civitatis apud se in Domo Consilii convenirent. Exaudita ipsorum petitione, comparuerunt apud eosdem utriusque partis viri amplissimi; D. Rector pro tempore Leonardus Fruman, AA. Magister, & Theologiæ Licentiatus,*

cum

cum aliquot Decanis, & Doctoribus; & simul Dominus Officialis; atque Domini Prælati Scotorum, S. Dorotheæ, & reliqui; in quorum conspectu Dominus Magister civium pro tunc, Stephanus Oenn, Dominorum civium proposuit desiderium lamentabili voce, innumerísque suspiriis: Præstantissimi, inquit, viri, Domine Rector, Domini Prælati, & reliqui Domini, & Patres nostri colendissimi: vident, & intelligunt vestræ Præstantiæ, in quod hodie vos, & nos conjecti simus periculum corporis, & rerum, & maximè nos Laici, qui omni humano destituti sumus præsidio, & auxilio, præter ipsum, quod apud vestras Præstantias nobis est repositum. Considerantibus itaque, quod noster inimicus gravissimus, Dominus Rex, non tantùm Vobis adversetur, quantùm Nobis; cùm Vestræ Præstantiæ in hac parte litis neutrales constitui debeant; quare ad vos tanquam ad nostrum singulare, & ultimum refugium confugimus, oramúsque, ut vestræ Præstantiæ Vobis, & Nobis consulant, quibus ab hoc maximo nostro periculo animi quiescamus. Petimus denique, ut vestræ Præstantiæ apud Regiam Majestatem, tanquam eidem gratæ, laborent: ut saltem pro quibusdam, ad tractandum cum sua Majestate pro mitigatione iræ ejusdem, atque ad inquirendum, quid pro tali, quâ hactenus in nos usus est, serietate prætendat, salvus haberi possit Regius conductus.

His, & aliis auditis: *Dominus Rector receptis secum nonnullis Doctoribus, cum Domino Officiali Wiennensi, Domino Leopoldo Pranz, adiit Dominum Fiscalem, Magistrum Joannem Keller, pro tunc Cæsareæ Majestatis Præsidem in Wienna; eíque civium mentem exponunt; suam simul Præstantiam consulunt super ea. Respondit Dominus Fiscalis: Non possum amputare civium desiderium; neq; jubeo, quòd faciatis, neque prohibeo. Nam ego ipse apud eos expecto periculum in caput meum; si assentieritis eorum desiderio, non erit peccatum.*

Itaque 14tâ Maji manè horâ sextâ Rector Universitatis Consilium convocat; Facultatum item Primores, ac rursus mentem civium in tres divisam partes

 pro-

proponit : *Imò an audienda esset petitio Civium, quâ peterent, ut Universitas cum Prælatis literas ad Regem daret impetrandi salvi conductûs causâ ? Circa quam partem visum est omnibus, ut fieret. 2dò an aliqui de Universitate sint mittendi ad placandum Regem, & qui ? ac conclusum, quod sic ; & ex pluralitate suffragiorum deputati sunt, Magister Leopoldus Pranz officialis, Doctor Canonum insignis ; & Magister Wolffgangus Stadler itidem Canonum Doctor. 3tiò an sicut conceperant Domini Cives, illi Deputati, post placatum Regem, deberent, ac possent in reliquis tractandis nomine Universitatis collaterales fieri Dominis Civibus ? & rursus in affirmativam concessum.*

Hâc Universitatis sententiâ ad Magistratum Civium delatâ ; quemadmodum laudati annales prosequuntur, *extemplo ejusdem deputati cum Præposito S. Dorothea & Carmelitarum Priore, eodem die Regem adiêre ; referunt reduces, se non sinè gratia susceptos ; redeúntque altera die multâ Regis benevolentiâ, & Universitati, & urbi, ad promissâ. Interea ubi articuli dedendæ urbis confecti sunt : prælecti illi quoque Academico in Consilio, qui conservandam libertatem, consuetudines & privilegia Civium, Prælatorum, Universitatis attinebant. Proposuit simul Rector in deliberationem ; an deberent Civibus præstari personales assistentiæ per Universitatis membra ? dum hæc â Facultatibus deliberantur, veniunt duo ex Civibus, N. Hornperger, & N. Leübenpök, petentes accelerationem ; promittitur ipsa ; mittuntur ex consilio Rectoris Decani Theologiæ, & Artium, qui & articulos sibi placere, & fieri assistentiam Civibus referrent. Verùm ubi ad consilium civium venêre, eorum nomine deputatis nostris, ait Dominus Perman : non indigemus nunc aliquibus ex vobis ;* quia Majestas dicit, quòd velit tractare nobiscum, quia non sciat disputare cum doctis, quia non didicerit. *Irrisam se quidem dolens Universitas ; gavisa tamen plurimùm, quòd Dei nutu periculosis his tractatibus fuerit liberata. Exclusâ sic Universitate, urbem egressi* Senatores, *Hornperger, & Leübenpök, ac nonnulli cives quatuor in curribus ad tractandum*

dum cum Regia Majestate; remanente in civitate Magistro Civium, Taschler, Perman, Zeller, & Casparo Schneider. Stabilitis ita dedendæ urbis conditionibus, sese, ac urbem Mathiæ Regi submisêre. Rex ovans prima Junij Viennam ingressus, die Dominica insequenti Beatrix *Regina singulari pompâ urbem est invecta.*

Ingredi itaque devictam ab se Viennam Ovantis in morem cùm Mathias, & voluntate sua, & Civium hortatu constituisset; nec ea in rerum vicissitudine Universitas suis deesse partibus voluit, quibus Regis, quem dura temporis necessitas Dominum dedisset, animum benevolentiámque mereretur; sic enim Annales iteratò recitant. *Ima Junij introivit Regia Majestas cum magno & Regio apparatu, præmissis ad octo millibus potissimùm equitibus, aptatis ad bellum: mansit eo die foris Domina Regina, die Dominica insequenti, nempe quinta Junij, ingreditur ipsa magnâ cum Solenitate. Intrantibus ipsis, scilicet Rege, & Reginâ, sequitur Universitas in notabilioribus suppositis. Sollicitat spectabilis Doctor Magister Martinus, Plebanus Ecclesiæ B. Virginis Budæ, impetrátque Universitati audientiam apud Regiam Majestatem pro susceptione ejusdem: itaque per Organum famosissimi viri Doctoris Canonum, & Sacrarum Literarum, Magistri Nicolai de Creüzenach suscipiuntur uno labore ambo: finitâ Arengâ, & commendatione Universitatis ultimò adjectâ, ore proprio fatur Regia Majestas dicendo: conabimur utique omni labore, quòd Vestra Universitas conservetur, in suis privilegiis, & libertatibus; & quòd ipsa non minuantur, sed augeantur, & quòd redigatur in pristinum statum, & floreat, quemadmodùm temporibus retroactis. Hæc, & similia dicebat sua Majestas Regia latino egregio. Acta sunt hæc in choro Ecclesiæ S. Stephani, stantibus ipsis pariter usque in finem; arrexit diligentissimas aures Domina Regina; sæpe, cùm placita audieret, subridendo. In introitu Regiæ Majestatis processiones Universitatis, & reliquorum statuebantur in Ponte Lapideo ante portam Stubarum: erat tunc validus ventus, & sparso copioso pulvere multis oculi sunt*

læsi;

læsi ; cùm autem Domina Regina ingrederetur , fuit quasi similis ventus ; sed processiones sistebant intra portam Stubarum per totum vicum.

Captâ Viennâ Rex victoriam prosecutus , Inferiori Austriâ ferè omni potitur ; tandem & Neostadio post septem mensium obsidionem fame ad deditionem compulso. Fridericus, qui laboranti Austriæ parum succurrerat,quòd pluris sibi bella filii Maximiliani cum Belgis , Gallísque duceret , interim cum octingentis equitibus Austriâ excesserat , Germaniæ Principum auxilia operiens , & animo fortunam suam non nimìs iniquo ferens : unde cùm illa verba : *summa felicitas est , rerum irrecuperabilium oblivio* , passim usurpâsset, symboli locum obtinuêre.

Aderat interea festa D. Joannis Baptistæ dies , quæ Ordinibus,Civibúsque fidelitatis juramento præstando constituta â Rege fuerat. Quo nomine cùm & Universitas â Civium Magistratu Regis jussu conveniretur ; res & indigna , & cum Academiæ legibus pugnare visa ; conclusúmque , ut Rex edoceretur : præter Universitatis , quæ ex Clero maximam partem constaret , id morem esse ; neque unquam ad ejusmodi eam juramentum adactam : quod si proposito tamen Rex dimoveri neutiquam posset , postulandas potiùs salvi conductûs literas , quibus , jusjurandum abnuentibus liber è civitate discessus concederetur. Eam in rem deputati Dominus Rector Leonardus Fruman, Decanus Theologiæ Nicolaus de Creüzenach; Magister Georgius Schöbl locò Decani Medicorum; & Decanus Facultatis Artium M. Thomas Wienner ex Neüburga Forensi, cum duobus Procuratoribus ; 23tiâ Junij Reverendissimum Dominum Episcopum Jaurinensem, Regis Thesaurarium , adeunt , ac turbationem Universitatis, quæ in magnum ejus ruinam cederet, ob oculos ponunt. Suscepit is benignè Universitatis causam , ac onus amovendi periculum.

Tristia adeo Austriæ fata lætior præcesserat Nuntius

cius Româ, qui Divum Leopoldum Austriæ Marchionem ex Babenbergica familia ejus nominis IV. Sanctos inter, solemni ritu, ab Innocentio VIII. anno hoc die Epiphaniæ promotum esse retulit.

Conjicit Episcoporum Viennensium Catalogus ad annum hunc primi Viennensium Antistitis Leonis de Spauer Obitum; atque eidem ad infulas suffectum Bernardum de Rhor, Archimystam antehac Salisburgensem, quo post gesta cum Friderico Cæsare bella eidem conciliatus, seu quietis amore, seu, ut rapinas & odia Mathiæ Regis effugeret, se anno 1482. abdicaverat, ac Friderici in gratiam Joanni Archi-Episcopo Strigoniensi, ut Hundius ait, ex Bratislavia oriundo (quem malè nonnulli Bernardi fratrem literis prodiderunt) cesserat. Ad hunc igitur annum 1485. si referenda est Bernardi ad Viennensem Episcopatum â Friderico Cæsare denominatio; eundem, adhuc vivo Leone, jam ab anno resignationis suæ, Administratorem Episcopatûs Viennensis fuisse constitutum, est necesse. Apertè enim Acta Philosophica ad annos 1483. & 1484. eundem Bernardum de Rhor Administratorem Episcopatûs Viennensis nominant, cujus authoritate, ùt superiùs meminimus, Cancelli sint promovendis ad litterarios honores aperti. Cæterùm Bernardus eodem hoc anno Episcopatu Viennensi rursus excidit. Captâ enim Viennâ ab Rege adversario Urbem, Infulásque deseruit: quibus Urbanus Agriensis Antistes, Mathiæ Regis Ecclesiastes, & Quæstor admotus est.

An. 1486. usque ad 1490.

Post amissam Viennam nonnulla lux serenior Austriæ affulsit; dum anno 1486. Maximilianus concordibus ordinum votis, Romanorum Rex decimo sexto Februarij Francofordiæ est proclamatus, ac nonâ Aprilis Aquisgrani inauguratus. Non licuit Universitati lætitiæ significationem palàm contestari, alieni sub domi-

dominatu Principis: verùm hanc ipsam serenitatem mox turbo factionum involuit, Maximiliano Brugis anno 1488. insolentissimo ausu â seditiosis Civibus in custodiam conjecto; cujus rei nuncio Fridericus in Belgium adproperat cum exercitu, atque Maximiliano libertatem, Brugensibus perfidiæ metum, demum pacem adfert.

Sub annum 1486. negotii quidpiam Facultati Theologicæ facessivit Medicinæ Doctor, Magister Georgius de Cilia, qui ordinem S. Pauli primi Eremitæ ingressus, haud obscurè de erroneis dogmatibus erat suspectus: quod Acta ejusdem Facultatis ita recensent: *Die S. Georgii coram Facultate Theologica exposuit quidam Venerabilis Pater Ordinis S. Pauli primi Eremitæ; quomodo ante dictus Dominus Doctor declinâsset ad quodam Eremitorium S. Pauli prope Budam, ibique staret in anno probationis, vocaretúrque Leontius; & nunc citò expiraret probatio ejus. Hic cùm inter fratres ejusdem loci distribuisset quosdam tractatulos, venisse, ajebat, rumorem ad præfatum Eremitorium, de quibusdam articulis hìc Wiennæ in Theologica Facultate reprobatis: & occassione eorum se per Seniorem suum esse missum, ut illos petat â Facultate, ut Ordini caveatur â scandalo. De iisdem itaque informatus, cum literis credentialibus ad superiorem suum est remissus. At is brevi rediit, ac â Facultate petiit nomine ejusdemGeorgii, ut quamvis Scandalosa quædam scripsisset, calumniámque cuidam Theologiæ Doctori intulisset, sine impedimento Facultatis, & potiùs ejus favore recipi possit ad Professionem nominati Ordinis. Cui responsum: quòd Facultas Theologica non velit nominatum Doctorem impedire in profectu salutis, sed potiùs ad hoc promovere; ea tamen conditione; quod præfatus Medicinæ Doctor satis faceret Facultati Theologicæ per deprecationem saltem litterariam, quæ sit munita signeto superioris Monasterii, in quo profiteri intendit.*

Anno 1487. confectum rursùs memorant Acta Artistica, Rotulum Doctorum, Magistrorum, Baccalau-

reo-

reorum, ac Scholarium Universitatis, ad Urbem transmittendum: de quorum Rotulorum ratione, formáque ad annum 1390. dictum est.

Eodem anno 1487. eadem Acta, è D. Augustini Eremitarum familia Professum nonneminem, eúmq; primum, Magisterii in artibus gradum petiisse, docent. Reluctata est diu multúmq; Facultas, nec in rem adeo novam, & ad hæc usque tempora unquam usitatam facilè consentire placuit: dein tandem præsentatâ superioris sui Facultate, & plurium, eorúmque gravium virorum comendatione exhibitâ, ad petitum in artibus honorem admissus fuit.

Sub hæc eò connisus Innocentius Pontifex, ut Imperatorem inter, & Hungariæ Regem pax componeretur; misso, ut Acta Theologica habent, anno 1488. Sedis Apostolicæ Legato cum potestate â latere, Angelo Ortono Episcopo; quem, ùt eadem Acta innuunt, Universitas cum Arenga suscepit. Verùm primis Oratorum congressibus id negotii minimè confici poterat; Mathiâ septingenta aureûm numûm millia postulante, Imperatore verò Austriam sibi absque ulla sumptuum restitutione reddi volente; quòd aliunde Austriam â Mathiæ obitu, quem & valetudo fracta, frequénsque sub ea tempora morbus non diu abesse persuaserat, ad se redituram speraret. Confecta nihilominus pax est anno 1489. Budæ, ac ipso Corporis Christi festo publicata: dies quoque dictus, quo Imperator, & Rex colloquerentur, & quæ sancita, rata forent. Verùm id colloquium intermissum oportuit ob ingravescentem in dies Mathiæ valetudinem, & secuturam anno altero mortem.

Dum hæc Principes inter aguntur; Universitati non parum; nec semel de obtinendis Magistrorum stipendiis cum Rege luctandum fuit; quorum defectu, & alias se adituros minabantur scholas; nec Universitatem subsistere posse videbant. Soluta sunt nonnulla anno 1488. ut Acta Theologica meminêre, assignatione Budensi ex ærario facta.

Nec

Nec deerant, qui ſub hæc Hungarici dominatûs tempora bonis artibus Viennæ excolerentur: hos inter fuiſſe, Ederus meminit, Sigismundum ab Holeneck Decretorum in Univerſitate noſtra Doctorem, deinde, ùt Hundius habet, 1494. Archi-Epiſcopum Salisburgenſem. Thomam de Erket Strigonienſibus poſtea Infulis, ac Purpurâ Cardinalitiâ inſignem. Balthaſarem Baronem de Stubenberg Juris utriusque Doctorem, Salisburgi Canonicum. Georgium de Neüdegg Epiſcopum ſubinde Tridentinum, & Auſtriæ Cancellarium. Nicolaum Comitem de S. Georgio & Pöſſing. Matthæum Lang à Wellenburg pervetuſtâ Patritiorum Auguſtæ familiâ natum, qui Gurcenſes primùm Infulas, Salisburgenſes Archi-Epiſcopales, ac demum Cardinalatûs Purpuram Maximiliani Cæſaris non tam favore, quàm propriis virtutum, & eruditionis meritis eſt conſequutus.

An. 1490.

EX morte Mathiæ, quam anno hoc obiit, Vienna cum Inferiori Auſtria ad Maximilianum rediit, cui vivo adhuc Patre hæreditariæ Provinciæ ceſſione Juris, cum Hungariæ regno ex pacti debito obvenêre. Expiravit autem, ut Acta noſtra annotarunt, Mathias ſub noctem quartæ Aprilis, quæ dies Martis erat, Viennenſi in arce apoplexiâ tactus, horrendos, ut plerique referunt, inter ejulatus; relicto filio unico Joanne, ſed illegitimo toro nato. Prænunciatam fuiſſe mortem Bonfinius ſcribit, leonibus eo, quo periit, die Budæ extinctis, & nullis tum Corvis ibidem viſis, Albæ autem ingenti numero. Princeps dum viveret, omnibus ſanè animi, & fortunæ dotibus ornatus; id præcipuè à nobis ei laudis dandum: quòd arma inter non minùs literas, ac literatos ſemper coluerit; extructâ in arce Budenſi Bibliothecâ, utriusque linguæ fœcunditate, numerô, cultúque librorum refertiſſimâ.

Vix Mathias diem ſupremum clauſit; Univerſitas liber-

libertatem, veterésque Austriæ Principes respicere cæpit: maluêréque non pauci Doctorum æquè, ac Studiosorum, Viennâ excedere, quàm Juramento à Stephano Scepusiensi Comite postulato sese obstringere, *quòd nempe nec directè, nec indirectè verbô, vel factô agere contra coronam Hungariæ, nec quemquam Hungaris faventem lædere vellent*: adeo ut in Bursis, ac Codriis, in quibus antea septuaginta, & amplius, jam vix decem, duodecímve alumni censerentur.

Verùm non diu hoc in Viennenses, Universitatémque fuit Stephani Hungarorum Præfecti imperium, administrâ maximè Universitate: nam inclinatis jam Austriacorum in Maximilianum animis, ac pro coronâ Hungariæ pluribus procantibus, quam in partem Vienna secederet, dum hæret dubia; ad Universitatem rursus confugit, ejus consiliis obsequi certa: *Die enim septima Augusti D. Affræ sacro cives delegati*, verba actorum sunt: *Universitati congregatæ proponunt: se in magna positos perplexitate, super eo, quod non plenè, certéque informati essent, quem in eorum Dominum verum recognoscere deberent, eò, quòd ipsi juramento se obstrinxissent Regi Hungariæ Mathiæ, successoribúsque suis: modò autem, quis verus esset successor, cùm ipsi juris inscii essent, minimè discutere ipsis possibile fore, dicebant. Adjiciebant quoque, quòd Rex Bohemiæ jam per nonnullos regnicolas pro Rege electo haberetur: Etiam, quòd quidam filius Regis Poloniæ, Albertus nomine, se jus ad idem regnum Hungariæ habere contendat. His succederet filius Mathiæ, Joannes Corvinus Spurius, qui & coronam, & Thesaurum regni habet. Denique Maximilianus Invictissimus Romanorum Rex, Friderici Imperatoris filius, resignatione jurium Paternorum sese indubitatum Regem Hungariæ speraret: eò, quòd in quibusdam compactatis, & inscriptionibus inter Divum Fridericum Romanorum Imperatorem, subsque legitimos successores ex una parte, & Mathiam Regem Hungariæ, cæterósque regnicolas altera ex parte cautum fuerit: in quantùm, si præfatus Mathias Rex sine legitimis hæredibus decederet, quod tunc sine* diffi-

difficultate prædictum Fridericum Imperatorem, aut ejus legitimum hæredem potenti manu Hungari in Regem sibi constituerent, constitutúmque recognoscerent. Talia quoq; compactata Sedes Apostolica de certâ scientiâ approbavit, ratificavit, contravenientibus etiam maledictionem horrendam adjiciens. His itaque, similibúsque terroribus perculsi cives, ad Universitatem confugere, petentes sibi eandem fore pro præsidio, ac sano consilio, tanquam ad eam, sub cujus arcanis cordibus scientia sit discernendi, quod cuique jus suum competat.

Auditâ eâ Legatorum oratione, more veteri à Facultatibus deliguntur, qui causam Civium disquirant, suámque ad Rectoris Consilium sententiam referant: Quâ perceptâ, decimâ Augusti Universitatis nomine eum in modum civibus est satisfactum: *Quòd relatorum, & inscriptionum veritate subsistente, confirmatione Apostolicâ, & inquisitione secutâ, consulat Universitas Studii Wiennensis; Invictissimo Principi, Domino Maximiliano Romanorum Regi, Austriæ, Carinthiæ, Styriæ &c. Duci, competere jus ad Regnum Hungariæ ex cessione Serenissimi Principis Domini Friderici Romanorum Imperatoris Genitoris sui, Domini nostri gratiosissimi factâ; & illi tanquam vero, legitimo, certo, & indubitato Hungariæ Regi ab omnibus incolis esse obediendum. Ea tamen cum protestatione Universitatis tanquam Clericæ: se tali consilio non teneri, si quoquo modo ultio sanguinis, aut quævis alia vindicta inde sequeretur.*

Opportuno recreati consilio Cives, extemplo partibus Maximiliani sese addixêre, vitam, ac sanguinem pro eo daturi, missis, qui Principem venerarentur, Viennámque invitarent, Legatis. Erat tum Maximilianus Lincii, non mediocriter pronis adeo Viennensium in se studiis exhilaratus. Equestri igitur stipatus manipulo in Austriam descendit, rectâ Viennam petiturus: vigesimâ Augusti civitatem ingressus, Urbe obviam profusâ, magnos inter lætitiæ plausus excipitur: die altera ad D. Stephani sermone diserto per Nicolaum

laum de Creüzenach Theologiæ Doctorem reditus ejus Viennam felix, longúmque imperium est acclamatum; non sinè multa Regis in Universitatem commendatione. Cæterùm tenebatur etiamnum ab Hungaris Arx Viennensis, quam postridie sui in urbem ingressus oppugnari cœptam, haud multo post deditione accepit. Inde non prosperis minùs armis Neostadium, Leüthapontem, Claustro-Neoburgum, & reliqua præsidio Hungarico munita oppida vindicavit.

Quin eodem adhuc anno victore exercitu in Hungariam ducto, Sopronium, Sabariam, ac demum ad 14tum Kalendas Octobres Albam Regalem deditione capit. Belli hujus Hungarici causa Uladislaus Bohemiæ Rex, qui Hungariæ Regnum usurpare cæperat, à nonnullis partium suarum studiosis in Regem proclamatus. Adjecisset Maximilianus post captam Albam victoriis suis Budam, ni debita militi stipendia, sed dilata, seditionem in exercitu excivissent, & rei bene gerendæ, & victorias proferendi occasionem ademissent. Maximilianus ergo in Austriam regressus, seditionis authores suspendi, partim Viennam adductos gladio percuti jussit: in reditu Haimburgensem Arcem expugnat, omnémque Inferiorem Austriam Hungarico evacuat milite.

Vivebat adhuc Mathias, cùm è vivis abiit Urbanus Antistes Vien. Eidem à Rege Hungaro in Successorem datus Joannes, Vesprimiensi jam Infula clarus, Vir ingenti zelo præditus. Præfuit Administrator, quo Acta nostra eum nomine compellant, annos ferè novem, donec anno salutis 1499. fatis concessit.

Ad annum hunc initia Academiæ Basileensis Ederus cum nonnullis refert: Verùm fundatam illam fuisse jam anno 1459. demonstrat ex diplomate Pii II. Pontificis Middendorpius, aítque: eadem illi à Pontifice privilegia, quæ Bononiensi, Viennensi, cæterísq; per Germaniam Academiis, indulta: ut proinde anno præsente nonnisi quædam ejusdem restauratio facta fuerit.

 An.

An. 1491.

DUm Maximilianus auxilia continuando in Hungaria bello circumſpicit quidem, ſed parum impetrat, Germaniæ Principibus concordiam potiùs cum Chriſtiano, & affine Rege ſuadentibus, pacem cum Uladislao ſancit has in leges: Uladislaus Rex belli Hungarici expenſas Maximiliano reſtitueret; titulus Regis Hungariæ Auſtriæ Archiducibus maneret; ſi Regem Hungariæ ſinè Maſcula prole decedere contigerit, Auſtriæ Princeps hæres, ſucceſſórq; eſſet. Cujus compoſitionis formulam diffusè recitat Joannes Sambucus Tyrnavienſis, Univerſitatis noſtræ, & membrum, & Scriptor apud Bonfinium haud ignobilis.

Interea, quòd eâ tempeſtate nulla, aut perparcè ſolverentur ſtipendia, induſtria, fervórque Magiſtrorum non parum elanguit; unde ad Fridericum, tum Lincii aulam habentem, Oratores ſtipendia rogaturi adornantur: redivêre illi paucis poſt diebus, & præter largam ſpem retulêre nihil; animo Friderici in Univerſitatem offenſo, quòd ampliùs, quàm par erat, Mathiæ Regi eam faviſſe crederet. Lætiùs tamen anno inſequenti accepit nuncium, miſſo ad Univerſitatem Superintendente Bernardo Perger, qui feriâ 2dâ ante Purificationem B. Virginis Mariæ præter complura alia retulit: *Perſolvenda certò circa feſta Pentecoſtes ex telonio Ipſenſi ſtipendia; & ſe exaſperatum nonnihil in Academicos Cæſaris animum leniiſſe, omnémque ſiniſtram de Univerſitate opinionem eidem exemiſſe*: eâ tamen adjectâ conditione: *ne in futurum Univerſitas ulli alteri Principi, quàm Auſtriacis adhæreret.* Nonnulla denique Imperatorio juſſu in ſtudiorum ordine, rationéque, quæ reſtauratione opus habere videbantur, ordinari meliùs, & reformari poſtulavit.

Translatum anno hoc ad Conſtantienſes Infulas à Viennenſi Præpoſitura, Univerſitatíſque Cancellis Reverendiſſimum Thomam de Cilia, eíque eo in munere ſuffe-

suffectum Dominum Virgilium Cantzler, fragmentum quoddam Tabularii Canonicorum D. Stephani memorat sequentibus verbis: *Anno Dñi M CCCC XCI. vacante iterum Præpositurâ per electionem, & consecrationem Domini Thomæ de Cilia in Episcopum Constantiensem, præsentatus fuit per Serenissimum Ducem Fridericum Rom. Imper. semper Aug. Dñus Virgilius Cantzler ex Salisburga, qui investitus, & installatus exstitit per Doctorem Hieronymum Hollnbruner, tunc Vice-Decanum, & Officialatûs Commissarium, præsentibus Consultis ejusdem Imperialis Majestatis, per baculum pastoralem, annulum aureum, & biretum rubeum, die Dominica post Elisabeth.*

Sub hæc vitam posuit vir Consultissimus, Magister Nicolaus de Creüzenach, Artium, Decretorum, & Theologiæ Doctor, tertiùm Universitatis Rector. Natione fuit Germanus ex Comitatu Sponheimensi, popularis Trithemii, à quo id laudis defunctus meruit: *Vir in Divinis Scripturis eruditissimus, & sæcularis Philosophiæ non ignarus, ingenio subtilis, vitâ præclarus, disputator acutus, & declamator sermonum egregius: qui in Archi-Gymnasio Wiennensi multis annis Theologiam publicè docuit, & tam apud Scholasticos ibidem, quàm Fridericum IV. magnam eruditionis suæ laudem, & mercedem obtinuit. Scripsit quædam præclara opuscula, quibus posteris nomen suum notificavit. Moritur Viennæ in Austria sub Friderico Imper. IV. & Innocentio VIII. anno Domini 1491. relicto Bibliotheca suæ hærede Facultate Theologica.*

Nec longè ab hoc vitam quoque clausit vir in paucis eximius, ac Reverendus, Dominus Michaël Lochmayer de Haidegg Theologiæ, & Canonum Doctor, Passaviensis, & Viennensis Ecclesiæ Canonicus, bis Rector Academicus, relictis nonnullis voluminibus, quæ Possevinus recenset. Denique anno hoc fundatam à Magistro Oswaldo de Weikerstorff *Bursam Pruck* Catalogus Ederi docet.

An. 1492.

ERroneas suas, & scandalosas, hæresímque sapientes, quas jam ab anno 1483. in Schola Juridica docuerat, positiones retractare coactus est Mag. Joannes Kaltenmarckter Theologiæ, & Juris Pontificii Doctor Ordinarius, atque Officialis Pataviensis; Vir cæterùm à multa scientia, & Rectoratu Archi-Gymnasii sæpius gesto insignis, multarum tamen turbarum non semel author, & Cervicis, ùt Acta loquuntur, duræ. Delatus is erat jam anno 1490. à Venerabili Magistro, Fratre Udalrico Zehentner Ordinis Prædicatorum Facultatis Theologicæ Decano, suspectæ doctrinæ; sed cùm isthic commodùm ageret Reverendissimus Dominus Angelus Ortonus Sedis Apostolicæ Legatus, apud eundem sese expurgârat: Quibus tamen minùs cæteris satisfactum. Romam igitur Magister Udalricus à Facultate Theologica ire jussus, coràm Kaltenmarckteri fidem, & doctrinam accusat; tantúmque effecit, ut Romam reus evocaretur. Nec abnuit ille, sed causam acturus comparuit; minùs tamen, ac Viennæ, feliciter. Errorum enim convictus, doctrinæ retractationem spopondit. Quæ omnia, quia plurimùm tum ad causæ notitiam, cùm ad Facultatis Theologicæ sub id temporis comendationem, authoritatémq; faciunt, ex literis Apostolicis discere juverit, quarũ sequens est tenor:

Innocentius Papa VIII. dilectis filiis Decano, & Magistris Facultatis Theologicæ Universitatis Viennensis.

Dilecti filii, salutem & Apostolicam Benedictionem!

EX his, quæ per Vos in confutatione, & reprobatione nonnullarum propositionum, & conclusionum, partim hæresim sapientûm, partim erronearum, & scandalosarum, per dilectum filium Kaltenmarckter in ipsa Universitate vestra

stra publicè legentem propositarum, laudabiliter egistis, pro defensione fidei Catholicæ, & confutatione damnatarum opinionum viriliter Vos decertâsse cognovimus, ùt veros Theologos decet; in quo Vos plurimùm in Dño commendamus, ac per Vos in hujusmodi damnatione facta approbamus, exhortantes; ut si qui talia semina hæresum, aut speciem hæresis sapientia pullulare cognoveritis, ad ea exstirpanda, & penitùs eradicanda debitam diligentiam adhibere curetis. Cùm autem dictus Joannes ad Curiam Romanam, ut vocatus fuerat, accesserit, sêque coram Venerabilibus Fratribus nostris, Oliverio S. Sabinæ Neapolitano, & Georgio Uluxbones, Cardinalibus judicibus Commissariis per nos deputatis præsentaverit, errorésque suos humiliter confessus, veniam meruerit, injunctâ etiam pœnâ salutari, prout ex forma sententiæ per præfatum Georgium Uluxbones Cardinalem (Dño Cardinali Neapolitano tum legitimè impedito) latæ plenarie cognoscere poteritis; volumus itaque, ac vobis mandamus, quatenus dictum Joannem Authoritate Apostolica requiratis, ut conclusiones prædictas, reprobatas, juxta continentiam sententiæ contra eum latæ, in publico revocet, & alia omnia sibi injuncta adimpleat, ita, & taliter, quod imprudentibus ipsis revocatio hujusmodi omnibus innotescere valeat. Quòd si forsan dictus Joannes, per vos juridicè requisitus, facere recusaverit, quod tamen non credimus, nobis significare curabitis, quatenus eundem pœnis debitis punire valeamus; in contrarium non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Junii anno M.CCCC.XCII. Pontificatus nostri annô VIII.

Jeremias Baldanus.

Lecto igitur Brevi Apostolico Facultas Theologica à Joanne Kaltenmarckter, ut errores suos juxta tenorem literæ Apostolicæ revocaret, postulat; cui pœnitens obsecutus, confecto desuper à Facultate Theologica revocationis instrumento.

Haud multùm post datas has ad Universitatem literas, octavo nempe Calendas Augusti extinctus est Innocentius VIII. Pontifex. Quem in Sede Pontificia

Electorum Cardinalium suffragio insecutus est 3. Idus Aug. Joannnes Borgia, qui se Alexandrum VI. dici voluit.

Meminerunt etiam Acta anno hoc primùm haberi cæptum à Facultate Theologica sermonem ad Clerum, & Universitatem in festo S. Leopoldi Austriæ Patroni: quem sub id temporis Panegyri Venerabilis Magister, Frater Joannes Forter Ord. Carmelitarum celebravit.

An. 1493.

PAce fruebatur demum Austria, & Germania ferè tota; cùm Fridericus Imperator Lincij, ut Acta nostra notant, feriâ 2dâ post festum Assumtionis Virg. Mariæ (cujus semper vixit studiossimus, pervigilium festi illius cibi, potúsque abstinentiâ jam à pluribus annis colens) supremum obiit diem. Vixit universim An. 77. menses 11. cum natus esset An. 1415. mense Septembri, ex Ernesto Ferreo Austriæ Archiduce, & Gimburga Massoviæ Ducis filia: Princeps sapientiâ, gravitate, morúmque integritate præstantissimus, atque pacis egregius cultor, quâ tamen, præter ultimum vitæ annum, raro fruebatur; unde Paulus Amalteus Artium in Universitate nostra Magister, ac Poëta in Eundem ita lusit:

Astra pius Cæsar pacato ascendit ab Orbe,
Talis Vita fuit, qualis & interitus.

Item:

Augusto propior Fridericus Tertius, orbem
Quinquaginta annis rexerat, atque tribus:
Sed tribus hic vitæ Augustum superaverat ævo,
Longior hic, ille est ditior Imperiô.

Erexit is An. 1461. in Carniolia Episcopatum Labaconsem Oberburgensis Benedictinorum Cœnobii reditibus fundatum. Neostadiensem An. 1470. Constitutis jam antehac in Capella Aulica, 1444. Præposito, Decano, & undecim Canonicis. Viennensem in Austria

ſtria An. 1480. ut plura minorum gentium Cœnobia, Ordinémque Equitum S. Georgii alibi inſinuatum præteream, Univerſitatis Fautor perpetuus. Appoſitus eſt, non, ùt habet Roo, Neapoli Auſtriæ, ſed Viennæ in æde S. Stephani; ita expreſsè præter Guſpinianum, alióſque, Actis noſtris fidem facientibus. *Invictiſſimus Dnus noſter Imperator Fridericus IV. feriâ 2dâ poſt Aſſumptionem MARIÆ debitum naturæ in Linz perſolvit, & in Profeſto S. Auguſtini ejus Corpus de Linz navigio in Viennam honorificè ductum eſt, atque in Eccleſia S. Stephani in ſepulchro Principum ſepultus eſt.* Quo loco reconditus quievit ad Annum uſque 1513. dum inchoato à ſe annis ante viginti monumento magnifico, & à Maximiliano filio tandem abſoluto, illatus eſt.

Parentavit meritiſſimo Principi Univerſitas habito funebri ſermone in Eccleſia Fratrum Prædicatorum: ſolutis funebribus accinxit ſe excipiendo proximè Viennam ingreſſuro Maximiliano Romanorum Regi, à quo & confirmationem Privilegiorum, & ſolutionem ſtipendiorum exorare conſtituit; quod utrumque præſtitum, ſic referentibus Actis. *Feriâ quartâ ante Colomani Sereniſſimus Romanorum Rex, Dnus Maximilianus, Dnus noſter navigio Wiennam venit, qui & honorificè pro ſua Regia Magnificentia in Eccleſia S. Stephani cum Arenga, ùt moris eſt Reges ſuſcipere, ſuſceptus eſt: atque Orator noſter Dnus Doctor Briccius Regiam Majeſtatem exoratam habuit, quatenus ſua ſacra Mejeſtas privilegia Prædeceſſorum Principum Auſtriæ confirmaret, ſtipendia denique Dnis Lectoribus, ſinè quibus Univerſitas ſubſiſtere non poſſet, daret. Dnus Rex noſter Sereniſſimus utrumque per ſuum Cancellarium ibidem promiſit.*

Cætera inter, quæ à Bernardo Perger Univerſitatis Superintendente pro emolumento, profectúque in Artium Liberalium ſtudiis propoſita fuêre, viſum quoque, futurum perquam ſalubre, ſi à Magiſtris Artium Plateales haberentur Congregationes: aſſenſit Facultas, primáque haberi cæpit feriâ 2dâ poſt Octavam

Corporis Chriſti : ſed quia haud quidquam fructûs inde relatum , exercitatio iſthæc abinde intermiſſa. Quid porro publicis hiſce conventibus rerum actum ſit , ex Actibus Artiſticis diſcere juvet : *Convocati ſunt* inquiunt , *à Decano Artium ex omnibus Burſis , & Codriis ſtudioſi horâ Imâ ad ſtatutum ante fores Collegii Ducalis circa partem Fratrum Prædicatorum locum ; & venerunt in ſatis copioſa multitudine rerum novarum cupidi ; venit Superintendens , omnes Facultatum Doctores multi Laici : & habebatur converſatio publicè , ſuppoſitis invicem de aſſignata materia diſputantibus , & doctrinam ſuam conferentibus. Continuata illa fuit uſque ad Calendas Septembris ; verùm cùm pauci jam comparerent Facultatum Magiſtri , & Doctores , Civibus etiam conquerentibus de diſcurſu ſtudentium in Civitate adhuc circa horam 7mam ; ad Calendas Septembris Converſationi plateali finis datus eſt : neque impoſterum habendus cenſebatur.*

An. 1494.

MEminerunt Acta noſtra ad annum hunc , primùm , fundatis à Maximiliano Romanorum Rege ſtipendiis , conſtitutum egreſſæ Gramaticam juventuti Humanitatis Magiſtrum. Fuerat is Conradus Celtes , jam antehac à Friderico IV. Laureâ Apollineâ redimitus : cui à Facultate legendi hora aſſignata eſt 1ma ad 2dam Author verò Virgilius.

Eodem Anno hoc in Juriſtarum Scholis circa Feſtum D. Joannis Baptiſtæ Jus profiteri cæpit Excellens Juris Doctor Hieronymus Balbus Paduâ Viennam excitus (Facultati Juridicæ An. 1498. adſcriptus) inviſo antehac , ut Acta ajunt , ad novi Magiſtri Doctrinam concurſu.

An. 1495.

UBi Maximilianus poſt junctam ſibi Oeniponti ſecundis thalamis Blancam Mariam Galeaci Mediolanenſium Ducis Filiam in Brabantiam diſceſſiſſet ;

Vien-

Viennæ ad augenda literarum Studia, ùt anno superiori Schola Poëtica, ita anno hoc Oratoria est instituta. Comissa profitendæ Eloquentiæ provincia Hieronymo Balbo Juris simul, ut antea meminimus, doctissimo, numeratis in stipendium ex Principis ærario florenis Centum. Minor tamen ea literarii utriusque laboris remuneratio, quàm quæ vitæ ornatiùs agendæ sufficeret, cùm Balbo videretur, Minerval certum & à discipulis extorsit: Id cùm Facultatis Artisticæ præter consensum, fieret, exactio illa Balbo interdicta. Recurrit is ad Austriæ Regentes, porrecto sequentis formæ libello: *Hieronymus Balbus supplico Magnificentiis vestris; nam Lector Artis Oratoriæ constitutus, petii à Facultate Artistarum, ut lectio Oratoria inter ordinarias computaretur, &. Scholastici, qui volunt graduari, ad eam audiendam compellerentur. Item; ut Scholastici Lectori stipendium contribuerent, sicut in aliis Lectionibus. Ad quæ mihi responsum est: cùm hæc lectura per Magnificentias vestras sit constituta, Dominos Artistas velle hoc negotium arbitrio Magnificentiarum vestrarum disponi. Supplico itaque, ut Magnificentiæ vestræ hoc negotium dignentur examinare, & efficere, quod juris est.* Supplicationi huic Regentes ita subscripsere: *quòd non arctentur Scholares ad ei solvendum pastum, quòd aliunde habeat stipendium pingue à Principe; Cætera autem fiant.*

His Disciplinarum augmentis accessit etiam sub anni finem impetrata per missos superiori anno Romam Oratores facultas, seu, ùt Acta ajunt, *Signatura Apostolica*, quâ legendi, audiendíque Jus Civile quibuscunque alumnis, etiam Clericis, studii Wiennensis indultum est. Benevolentiâ hâc Sedis Apostolicæ animatam quoque Universitatem ad postulandam à Pontifice Privilegiorum suorum confirmationem, eadem Acta testantur. Dum interea majori anni parte con-

ſuetarum lectionum Curſum peſtifera Wiennæ graſſans lues inhibuit.

An. 1496.

Attulit hic annus Maximiliano cum Tyroli totam exteriorem Auſtriam; Philippo verò ejuſdem Filio jus vaſtiſſimi Hiſpaniarum Regni; ad Illum ſiquidem Provinciæ illæ rediêrunt ex morte Sigiſmundi Auſtriæ Archiducis, anno hoc eodem pridie Nonas Martii Oeniponti, nullo relicto hærede, defuncti: ad hunc verò Monarchia Hiſpana ex conjugio, quod itidem anno hoc initum cum Joanna Ferdinandi, & Iſabellæ Hiſpaniarum Regum Infante, devoluenda: ut poſteaquã ex nuptiis Maximilianum inter, & Mariam Burgundam Belgica omnis, ita ex Sponſali Philippi fœdere tota Hiſpania Domui Auſtriacæ accreverit. Tantis acceſſionibus beatus, ſubinde per annos complures ſecuturos Maximilianus Cæſar cum exercitu in Italiam profectus, bello implicatur Neapolitano, & Florentino; inde rediens lentis armis Helvetos, Gallóſque exagitat.

An. 1497. uſque ad 1500.

Dum illa extra Auſtriam à Maximiliano; domi noſtræ res utcunque pacatæ; nec multâ memoriâ dignæ. Id ſpeciale annus iſthic habuit; quòd ubi Regentes Auſtriæ Lectionem Decretorum in Legum converſam vellent; operâ generoſi D. Doctoris Fuchſmagen, Regiminis Conſiliarii, à Maximiliano impetratum fuerit novum ſtipendium, quo conſervatâ Decretorum lectione Leges novo adjuncto Præceptore traderentur. Non annuit modò juſtis poſtulatis amantiſſimus literarum Princeps; verùm etiam ut neglectum nonnihil Juris ſtudium in Archigymnaſio reſtitueret, illi promovendo, dilucidandóque celeberrimos Juris-

JurisConsultos ex Italia; Joannem nimirum Sylvium, & Aurelium Siculum submissos, præfecit.

Anno 1498. ad Insulam Viennensem nominatus est Reverendissimus Bernardus Baro à Polheim, insigne Universitatis nostræ decus; in qua & bonis Artibus, & Jure excultus, in Artium Magistrum est inauguratus, ac Matriculæ Facultatis Juridicæ anno 1471. inscriptus. Refert tamen Catalogus Viennensium Episcoporum, Virum & virtute, & literis insignem, nunquam se Episcopum, sed Administratorem duntaxat Viennensis Tiaræ dici voluisse.

Illustrem Universitatem nostram ad finem sæculi reddidit Illustrssimus Scholarum alumnus, Sigismundus L.B. ab Herberstein in Neüberg, & Guettenhag &c. Hic ubi primam in Artibus lauream est consecutus; subinde pace, ac bello amplissimas consecutus est dignitates: totam penè Europam summorum Imperatorum Maximiliani, Caroli V. & Ferdinandi I. ad maximos Reges, & Principes Legatus, & Orator peragravit; Moscoviæ historiam, quam Legatus adibat, singulari dexteritate complexus; Cæsareæ subinde Majestis Consiliarius, & Præfectus Cameræ Austriacæ constitutus. Clausit hoc sæculum tanta rerum omnium abundantia, ut mensura vini uno numo venderetur.

An. 1500.

Cum novo ineuntis sæculi anno novus Austriæ oritur Princeps, Carolus nempe V. hoc nomine futurus Imperator; D. Apostolo Mathiæ die Sacra, ex Philippo Maximiliani Filio, & Joanna Hispaniarum Infante, Gandavi in Flandria natus: Orbem aliquando, & pietatis, & belli facinoribus illustraturus.

Ut florentibus cæteris Studiorum disciplinis neglectus tot sæculis Romanæ linguæ nitor, puritásque in Archi-Gymnasio civitate donaretur, concepti quidam jam superioribus annis restaurandæ latinitatis articuli, anno hoc sunt publicati, ac in usum dedu-

deducti. Quos integros in Actis Artist. ad hunc annum conscriptos, tametsi plurimùm tum ad Studiorum, cùm Universitatis nostræ commendationem faciant, quia prolixiores, hìc adducere prohibemur. Et debet sanè non Universitas modò nostra, sed Germania omnis id beneficii Maximiliano I. quòd ejus curâ liberales Artes non excoli tantùm, sed ferrea illa politiorum literarum, Romanæque linguæ ætas in auream iterum commigrare cæperit. Omnium enim ferè è Sententiâ, ignoratio latinæ facundiæ imanis, Maximiliani usque tempora, ac ferè ad annum 1500. tenuit; cùm demum ejus Principis authoritate, & utilissimis Erasmi Roterodami, Petrarchæ, aliorúmque laboribus, velut è ruderibus protracta Romana lingua coli denuo cæpit, ac reflorescere,

Cæterùm viguit etiamnum hac tempestate veteris illa Statuti observantia, quâ præter Superintendentem Principis, alius quoq; qui Universitatis dicebatur, in annos singulos nominaretur. Et quidem ad annum 1417. usque unus duntaxat ex Facultatibus per ordinem delectus Superintendens rebus prospiciebat; ab eo autem año bini annis singulis Superintendenti Principis adjuncti eo ordine, ut anno uno Theologus esset cum Medico; altero Jurista cum Philosopho. Unde & anno præsente à Facultate Artistica Universitatis Superintendens nominatus est, Magister Georgius Patterstorffer de Wasserburg; à Principe autem, qui res suas in Concilio Universitatis curaret, Joannes Cuspinianus Artium, & Medicinæ Doctor, ac Poëta laureatus, Rectoratus Officiô anno hoc eodem functus: qui Universitati Superintendens, præfuit ad annum usque 1529.

Juverit in gratiam benevolis Lectoris hic inserere juramenti formulam inter manuscriptas Statutorum tabulas repertam, qua Superintendentes Universitatis, dum munus adibant, sese obstrinxêre. *Primò, ùt officium Superintendentis fideliter exequi velit; scilicet ùt si quem*

quem defectum apud aliquam Facultatem Universitatis nostræ senserit, illi sine mora pro sua possibilitate obviet, & occurrat: imò exigente necesitate de Consilio Universitatis ad Principem denunciet. Secundò, ut stipendium Universitatis, cum præsentatum fuerit, Priorem Collegii Ducalis sine dilatione distribui faciat illis, qui tale meruerunt, secundùm notitiam ipsi per singularum Facultatum Decanos mediatè, & per Priorem Collegii immediatè factum. Tertiò, ut nulli prohibeat stipendium dandum, neque impediat ob quamcunque causam, nisi talis fuerit in literis fundationis expressa. Quartò, ut fideliter impendat remanentias ad illas necessitates, ad quas in literis fundationis sunt ordinatæ. Quintò, ut procuret diligenter tempore debito ratiocinium sumere à Priore, & Prioribus de remanentiis receptis, & expositis, notatis consuetè notandis. Ultimò, ut neque aliis, neque ipsi jubeat dari stipendium, quibus secundùm fundationis literas exhiberi minimè debent.

Illud mirari satìs nequeo, quo errore lapsus Calendarii Academici author *Bonnanus* ea in Proëmio ad Superintendentum Catalogum verba inserere ausus fuerit: *Ubi præliminaliter sciendum, quòd Universitas à prima fundatione nullum Superintendentem, sed tantùm certos Episcopos, & Abbates pro Conservatoribus habuerit usque ad An. 1500. Primus itaque Superintendens fuit Joannes Cuspinianus Medicinæ Doctor, & Poëta laureatus.* Hæc Bonnanus. Nam tametsi Universitas suos habuerit Conservatores à sese requisitos, cujusmodi Episcopum Frisingensem fuisse, Mareschallum item inferioris Austriæ, ac alios in Actis lego; suum tamen Universitati, præter illos, quos Universitas ex Facultatibus in annos singulos deligebat, constantem fuisse Principis Superintendem, vel exinde satìs constat: tum quòd ex *Albertino Statuto* semper unus ex iis duobus, quos quivis Archidux Consilio civico præfecerit, privilegiorum, & libertatum executor, ac conservator ab Universitate eligi debebat; deinde quòd ante Cuspinianum Ægidius Schattauer, Bernardus Perger Artium Magister,

ſter, Juríſque Doctor, ac Auſtriæ Cancellarius, pluréſque alii Superintendentes Principis in Actis nominentur: denique, quòd in Decreto Ferdinandi I. ad An. 1529. emanato, cujus exemplum in pervetuſto Univerſitatis Tabularij Manuſcripto à me lectum extat, expreſsè memoretur: *Semper Duces Auſtriæ apud Univerſitatem ſuos habuiſſe Superintendentes.*

Hallucinatur quoque graviter idem Bonnanus in prælaudato Catalogo, quem à Cuſpiniano auſpicatum proſecutus eſt: dum & complures transmittit, cùm & inverſo ordine non paucos adfert. Quemadmodum ex variis MS. Univerſitatis colligere eſt. Ex quibus, quantùm licuit, ſequentem Superintendentum Principis ab anno 1500. ad 1565. Ordinem confectum adjicere viſum:

Joannes Cuſpinianus ad An. uſque 1529.

Joannes Pillhamer circiter ad An. uſque 1539.

Stephanus Schwarz Juris utriusque Doctor, Conſiliarius deinde Regiminis ad An. uſque 1544.

Joannes Ludovicus Braſſicanus Juris utriuſq; Doctor, Conſiliarius deinde Regiminis ad An. uſq; 1546.

Bernardus Walter circiter uſque ad An. 1557.

Joannes Göſſl ex Münſidl Juris utriuſque Doctor, ejuſdem Ordinarius Profeſſor.

Wolffgangus Lazius, Phil. & Medicinæ Doctor, ejuſdémque Primarius Profeſſor ad An. uſque 1564.

An. 1501.

REformata ſuperiori anno nonnihil ſtudiorum ratione, ne ullum deeſſet conſequendarum literarum inſtitutum, anno hoc perpetuò fundatæ, ac ſtabilitæ ſunt diſciplinæ duæ, Mathematica nimirum, & Oratoria cum Poëſi; non parum ad hoc operam conferente Joanne Cuſpiniano Univerſitatis Superintendente. Collata quoque à Maximiliano Romanorum Rege Archigymnaſio poteſtas creandi Poëtas laureatos, cujus indulti formam ex originali fideliter deſcriptam hic recitare viſum:

Maxi-

MAximilianus Divinâ favente Clementiâ Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, Archidux Austriæ &c. &c. *Ad perpetuam rei memoriam notum facimus tenore præsentium universis: cùm post susceptum Divino auspicio Cæsareæ Majestatis titulum, officii nostri imprimis esse duxerimus ad ea singula animum intendere; quæ & Reipublicæ nostræ decori & ornamẽto perpetuo esse arbitramur: & nationem nostram Germanicam, ac domum Austriæ, ex qua orti sumus, quantis possemus honoribus apud omnes gentes, & posteritatem notas faceremus: id potissimum occurrit pro æternitate litterarum necessarium in humanis rebus fore; ut populis, & Urbibus nostris, Romanarum literarum Gymnasia, laudato ordine, & Romano more statueremus; unde publicarum rerum Moderatores, ac Rectores ùt plurimùm excellentes prodiêre, qui veterum rerum gestarum lectione facti prudentiores, bene, & beatè vivendi rationes multâ experientiâ scripsêre: Directis itaque à Nobis in nostro Wiennensi Gymnasio civilis juris lectionibus, cùm in Poëtica, & Oratoriâ arte nihil hactenus ibi instituerimus; decrevimus pro ipsius Universitatis nostræ augmento, Collegium Poëtarum ibidem, priscorum Imperatorum nostrorum more, erigere, abolitámque prisci sæculi eloquentiam restituere. Itaque pro hac provehendâ, & initiandâ duos in Poëticâ, & Oratoriâ; duos verò in Mathematicis disciplinis eruditos ad ipsum Collegium deputamus: Inter quos eum, quem pro tempore Lectorem ordinarium in Poëtica constituemus, volumus eidem Collegio praesse: Quem etiam præsentibus nostris ipsius Collegii, & Lectionum Superintendentem facimus & creamus. Quo autem præfatum Collegium uberiori à nobis gratia & privilegio decoretur, résque ipsa felici gradu debitum sumat incrementum pro honore Nostro, & dignitate augenda Universitatis Wiennensis, Cæsarea Nostra authoritate, ac motu proprio præfatum Collegium hoc præsenti privilegio, ac prærogativâ decoramus: ut quicumque in præfata Universitate nostra Wiennensi in Oratoria, & Poëtica studuerit, laureámq; concupiverit; is in prænominato Poëtarum Collegio diligenter*

ter examinatus, si idoneus ad id munus suscipiendum habitus, & inventus fuerit, per Honorabilem, Fidelem, nobis dilectum Conradum Celtem, per Genitorem Nostrum Fridericum Tertium divæ memoriæ, primum inter Germanos Laureatum Poëtam, & modò in Universitate Nostra Wiennensi Poëtices, ac Oratoriæ Lectorem ordinarium; ac dein per Successores ejus, qui pro tempore Collegio præfuerint, Laureâ coronari possit: Sicque per eum, & Successores ejus Laureatus pro Poëta ab omnibus habeatur, & celebretur; omnibusque privilegiis, & insignibus, quibus cæteri Poëtæ Laureati fruuntur qualibet consuetudine, vel de jure, uti, & gaudere possit, acsi manibus Nostris eâ dignitate fuisset insignitus. Cujus rei tenore præsentium damus, concedimus, & impertimur Nostro Cæsareo jure eidem Legenti Poëtæ ordinario, ùt prædictum est, omnimodam authoritatem; non obstantibus quibuscumque Legibus, statutis, consuetudinibus, ordinationibus, aut aliis quibuscumque in contrarium facientibus. Reservato tamen Nobis nihilominus jure Poëtas coronandi, quos idoneos duxerimus; potestati etenim nostræ per hoc privilegium nequaquam derogamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ concessionis, & ordinationis paginam infringere, aut ei ausu temerario contraire: si quis verò id attentare præsumpserit, pœnam indignationis nostræ gravissimæ, ac quinquaginta Marcarum auri puri irremissibiliter se noverit incursurum: Quam medietatem imperiali Fisco nostro, ac reliquam partem præfato Collegio decernimus applicandam, harum testimonio litterarum Sigilli nostri consueti appressione munitarum. Datum in Oppido nostro Bolzano pridie Kalendas Novembris: Anno Domini Millesimo, Quingentesimo primo: Regnorum nostrorum Romani sextodecimo: Hungariæ vero duodecimo.

Præter id privilegium, optimi Principis authoritate confecta coronæ in modum Laureola, quâ post datam egregiam artis Poëticæ speciem Candidati ornarentur. Obtigit subinde per annos illos is honos Joanni Stabico Maximiliani Historico, ac Authori Rhytmo-

morum de Martyrio S. Colomanni. Thomæ Resch de Krembs, Joanni Panetiano Bohemo, aliísque.

Solemnitas S. Joannis Evangelistæ ad Prædicatores ab Ecclesia S. Nicolai anno hoc à Facultate Theologica translata est: causa mutationis erat, quòd Præfectus dictæ Ecclesiæ non semel expostulâsset incommoda in faciendis expensis. In has porro cum Prædicatoribus conventum conditiones: *Ut Facultas de Rosolio, & vino benedicendo provideat: sed Fratres Prædicatores ipsi de Cleinodiis convenientibus prospiciant.*

Illud denique memorandum: An. isto 1501. primùm in Actis Artisticis legi, Rectorem Universitatis, consueto abinde honoris titulo, *Magnificum*, fuisse compellatum; id, an antehac usitatum, quáve id ratione factum, haud insinuant.

An. 1502.

Wittebergensis in Saxonia anno hoc à Friderico I. Saxoniæ Duce erecta est Academia ex Lipsiensi, & Tubingensi, ùt Middendorpius cum aliis refert; hanc Joannes Fridericus ita exornavit, ut ex frigida, teste Erasmo, celebris evaderet. Cæterùm inscriptio supra Principum Electorum Saxoniæ imagines in Monasterio ad Portam Elistrinam de hac sic habet: *Academiam Wittebergensem Joannes Fridericus Dei benignitate Dux Saxoniæ &c. fundavit, Fridericus inchoavit, Joannes conservavit, Mauritius bello dissipatam instauravit: Augustus exornavit, amplificavit, & confirmavit.* Floruerunt hìc Heningus, Schurffius, Wessenbecius, Jurisconsulti scriptis celebres, & præ aliis *Martinus*, ille *Lutherus*, ac *Philippus* quoque *Melanchthon*; quinti ille Evangelii, novæque sectæ author: hic Prophetæ sui Lutheri dexter oculus.

Obiit anno hoc, Edero teste (nec quidquam enim sedulò acta omnia pervolventi occurrerat) Secundus ab erecta in Cathedralem D. Stephani Ecclesia Præpositus, idémque Universitatis Cancellarius, Virgilius

Cantzler; cui in munere præclarè geſto ſucceſſor datus, Juſtus Kasman ad D. Stephani Canonicus.

An. 1503.

POſteaquam diem ſupremum obiit Alexander VI. 15to Kalendas Septembris ex poculo venenato: ingenti ſanè Univerſitatis noſtræ gaudio ejus in locum à Cardinalihus electus Franciſcus Picolomineus, Senenſis Italus, dictus Tedeſcus, Academiæ Viennenſis ſplendidum membrum: dicíque voluit Pius III; ſed breviſſima fuit Pontificis vita; nam vigeſima ſexta poſt die, non mediocri Archigymnaſii noſtri, bonorúmque omnium dolore rurſum eſt ſublatus. Huic ex electione ſucceſſit Julianus Ruvereus, ſub nomine Julii II.

Perpetuo quoque ornamento nacta eſt Univerſitas anno hoc ſupremum Archigymnaſii Rectorem Magnificum, *Illuſtriſſimum* nempe *Principem, & Dominum, Dominum Fridericum Dei gratiâ Teſchinenſem, & majoris Glogoviæ in Sileſia Ducem, Artium Liberalium antehac Magiſtrum.*

Id etiam in partem gloriæ ſub annos hos Academiæ noſtræ obtigit, quòd literarum ſtudia undiq; florerent, ſumma eſſet Præceptorum induſtria, omnium Alumnorum cultus ſingularis. Nusquam Magiſtri, ùt inquit Ederus, ſine palliis, & habitu ſolemni comparebant: in victoriæ ſignum tres linguæ ex panno pallis affixæ præferebantur, quarum una poſtea Ingolſtadienſi Academiæ ex noſtra filiæ honoris gratiâ eſt collata. Tyrones ſingularum Facultatum cingula, provectiorésque cappas geſtabant, quibus ab indoctæ plebis turbâ & agnoſci, & honorari poſſent. Is porrò erat ſub tempora illa ſtudioſorum Viennam literarum ergò accurſus, ut, ſi prælaudato Edero fides, nonnunquam ſupra 7000. eodem tempore diſciplinarum alumnos Univerſitas Viennenſis numeraret.

Id demum Cumulo felicitatis Archigymnaſii acceſſiſſe videri poteſt; quod anno hoc 10. Martii Compluti in Hiſpa-

Hispaniis natus sit Ferdinandus Austriæ Archidux, & Hispaniarum Infans, Caroli V. Frater, futurum olim non Religionis modò in Austria, sed & Universitatis ruentis fulcrum.

Quamvis Catalogus Episcoporum Viennensium nuper editus gestam Insulam Reverendissimi Bernardi à Pollheim ad annum usque 1513. differat: rectiùs tamen cum nonnullis arbitror, eundem suprema fata anno hoc 1503. obiisse, atque ab obitu per 10. omnino annos Ecclesiam Viennensem Antistite vacâsse. Ejus rei fidem Annales Philosophici æquè, ac Theologici apertam faciunt, dum per annos istos identidem meminêre: *Sedem Episcopalem vacâsse; vacante Sede plures cum Officiali ad S. Stephanum Universitati fuisse controversias.* Sæpiùs etiam nonnullas lites decisas, ea tamen adjectâ clausulâ: *Citra tamen præjudicium futuri Ordinarii, atque Ecclesiæ Cathedralis S. Stephani Episcopi.*

An. 1504.

PArabat Augustæ Vindelicorum Maximilianus bellum in Palatinos; cùm ad eum Universitatis nomine Magnificus sub id temporis Rector Christophorus Kulber ex Graz, Theologiæ Doctor, confirmationem Privilegiorum, atque Statutorum conservationem oraturus, in quibus haud modicè tum à civium Magistratu, tum Episcopo per annos præterlapsos impetebatur, legatione fungitur; auditus erat clementer; nec minùs ex voto omnia, quæ veteris juris Archi-Gymnasii erant, impetrat: confirmatorias nempe privilegiorum, Statutorum, ac consuetudinum Universitatis novâ Regiâ authoritate munitas: Immunitatem item ab oneribus personalibus Civitatis, adjecto mandato; ne Academiæ membra bonorum immobilium, aut fructuum ex illis perceptorum causâ suis destituantur privilegiis, sed scholastica fruantur libertate. Addidit his mandata, quibus Universitati alumnorum disciplinam, & quietem publicam commendat.

 Lite-

Literis his, reduce Rectore, in Consilio perlectis, ut voluntati Principis mos gereretur, dati à Facultatibus Deputati, qui articulos certos, ad disciplinam scholasticam facturos, conficerent: functi illi egregiè officio suo, non paucas Universitati obtulêre leges, quas posthac literarum alumni observarent. Extant illæ etiamnum cum literis Regiis in Actis Philosophicis, quas adferre brevitatis studiô supersedemus.

An. 1505.

Controversia iteratò non levis Universitatem inter, ac Officialem, Capitulúmque S. Stephani, ùt Acta ajunt, Vice-Cancellariatûs causâ exorta est; quam ob rationem solemnia Universitatis ad D. Stephani aliàs fieri solita, ad Ecclesiam Fratrum Carmelitarum transferenda visum. Verùm pravi sanè exempli, multæq; offensionis materiam diffidium illud peperit; *Cùm enim quidam*, verba Actorum sunt, *egregius sacræ Theologiæ Licentiatus in Vigilia Pentecostes sermonem faciendum suscepisset, eundem in Ecclesia Carmelitarum habere recusavit. Id ægrè Rector Universitatis, qui tum erat Magister Wolffgangus Mosnauer, ferens, eundem ad Consistorium suum citavit, decretúsque est ei in pœnam carcer Universitatis. Non comparuit citatus, sed ad curiam Romanam appellavit. Qua tamen appellatione non obstante Rector obstinatum ubiq; inquiri jussit; eum demum comparentem in processione Corporis Christi, Dominus Rector cum nonnullis studiosis, è processione violenter abripit circa domum arcalem in Wollzeil, & ad carceres deduxerunt. Ne tamen tumultus fieret, & processio interturbaretur, utì Capitulum volebat, per Seniores Civium effectum est. Licentiatus per dies octo in carcere detentus, tandem emissus est, totáque controversia benignè inter Universitatem, & Capitulum composita.*

An. 1506. usque ad 1508.

Bellum anno hoc Hungaricum meditabatur Maximilianus; defensurus sua in Regnum jura, quæ Stepha-

Stephanus Transylvaniæ Princeps, *Vaivodam* Indigetes appellant, ereptum ibat, Joanni filio Annam Uladislai Regis Hungariæ hæredem, adhuc infantem, desponderi postulans, non invito, ùt nunciabatur, Uladislao Parente. Jam exercitus in Hungariam ductus erat, & castra ad Posonium posita: At Reginâ uterum ferente, armis aliquamdiu abstinere visum; cùm nunciatum, Reginam masculum enixam esse, cui Ludovici inditum nomen. Pax ergo à Maximiliano sancita, eâ iterum lege: ad Austriacos Regnum Hungariæ pertineret, si Uladislaus, Ludovicúsque sine masculo hærede decederent.

Maximiliano interim ad bellum Venetum properante, tristis Viennam consternavit nuncius: Philippum jam à Ferdinando socero Hispaniarum Regem renuntiatum in ætatis flore, Patrem tamen ex Joanna Conjuge Caroli, & Ferdinandi Romanorum postea Cæsarum, Eleonoræ item, Catharinæ, Isabellæ, ac Mariæ, Regiis subinde nuptiis felicium, supremum obiisse diem. Cor Austriaci Principis Bruxellis conditum hoc Epitaphio:

Urbes, & populos, diversáque Regna tenebam:
Spes dabat Imperium, spes dabat orbis opes.
Si spes in quemquam fuerat mihi gloria prima,
Heu! heu quanta fuit spes mea! tanta jacet.

Nil Academiæ nostræ antiquiùs, quàm Principi Austriaco parentare: at quia sermo de defuncti laudibus die mox altero à perlato nuncio, 5. nempe Novemb. habendus indicebatur, eum propè omnes recusabant. Offendit ea res non parum redituum Regiorum Præfectum, atque adeò comminatus erat: se, nisi laudes demortuo haberentur, ea de re cum Maximiliano Rege expostulaturum. Ne res igitur in Universitatis dedecus cederet, sermonem funebrem vesperi illo sacræ Theologiæ Professor Magister Joannes de Werd, de Conventu Fratrum Prædicatorum, susceperat;

 rat;

rat; ac altera die non modica cum Archi-Gymnasii commendatione peroravit.

Cæterum grassante potissima Annorum 1506. & 1507. parte epidemiæ per Austriam lue, Academia non modico suorum numero diminuta fuit, alumnis aut pestis terrore dilapsis, aut morte absumptis: quâ afflatus etiam cùm occubuisset Rector Magnificus, Joannes Willinger Artium, & Medicinæ Doctor, à congregata Universitate per Procuratores Nationum ei suffectus est Michaël Sartoris de Premarthon, Artium Magister, & Collegii Ducalis Prior.

An. 1508. usque ad 1510.

REctorem Magnificum 4. Februarij secundùm Ederi Catalogum Actis nostris id confirmantibus (quamvis Königius sua in Bibliotheca mortem illius jam ad an. 1505. referat) insecutus est Conradus Celtes Franco Sweinfordiensis, primus in Germania Poëta Laureatus; quem honorem è manibus Divi Friderici Cæsaris promeruit; artem subinde eandem annis compluribus in Universitate nostra egregiè professus: à morte suppellectilis librariæ, ac manuscriptorum suorum hæredem Facultatem Artisticam scripserat: Eorum Catalogum Königius, Vosius, Lambecius, aliique recensent. Editus in lucem à morte ejus quidam Odarum liber; qui cùm haud satìs castigatus Facultati Theologicæ visus esset, vocati ad examen M. Thomas Resch Artistarum Decanus, Bibliopolæ, & ultimæ Conradi voluntatis executores; res eò decisa, ut quantùm fieri possit, sine authoris infamia versus haud satìs tuti lituris emendarentur.

At meditatum diu in venetos bellum, priusquam Maximilianus auspicaretur, arduum Romam iter, ut Cæsaream à Pontifice acciperet coronam, futurum prospiciens, Tridenti per Matthæum Langium Gurcensem tum Antistitem, ac suum Epistolarum Magistrum è suggestu se non jam Romanorum Regem, ùt hacte-

hactenus, sed Imperatorem deinceps appellandum, promulgari jubet: cujus Imperatorii tituli confirmatorias literas mox, dum Bolsani esset, per Legatum à Pontifice accepit. Vario subinde eventu bellum in Italia à Maximiliano, Venetis, Gallo, & Pontifice gestum.

Interea domi haud suæ Archigymnasio lites, & minora deerant bella, quæ ei cum Cancellario Universitatis, ac Superintendente Joanne Cuspiniano ob promovendi ad literarios honores jura, intercesserant. Majoris aliquid negotii, Facultati potissimùm Theologicæ, ad quam causas morum, & Religionis cognoscere tum pertinebat, nonnulli periculosarum doctrinarum nomine suspecti, facessivêre. Delati siquidem erant ad Facultatem, primùm *Magister Wolffgangus Sack*, ad S. Michaëlis Viennæ Plebanus, quòd scomata non pauca in quatuor Mendicantium Ordines, Dominicanos scilicet, Augustinianos Eremitas, Minores Conventuales, atque Carmelitas, quibus quatuor Religiosis Familiis aditus ad Universitatem, literariósque honores jam ferè ab origine Academiæ patebat, è publico suggestu sparsisset: Dominus dein *Philippus Turrianus* Domûs S. Spiritûs Viennæ extra Stubarum portam sitæ Commendator, qui diversas contra indulgentias, cum populi offendiculo, propositiones palàm effutivisse ferebatur: Duo demum Fratres, ùt Acta ajunt, ex ordine *S. Bernardini*; quorum unus, Jacobus nomine, ad S. Petrum Prædicator hæc vèrba ad concionem proferebat: *Quòd Sacerdotes in Ecclesia non ostendant veras reliquias, sed reliquiarum locò imponant ossa equorum, & sic decipiant homines.* Alter verò, cui Theobaldi nomen, ad D. Laurentium itidem ad concionem dixisse accusabatur: *quòd quilibet Sacerdos Viennæ habeat unum equum, in quo equitat ad inferum.*

Primus eorum Innocentiam suam comprobavit, præstito in hæc verba juramento: *Ego Wolffgangus Sack AA. & Theologiæ Doctor juro ad S. Dei Evangelia, quòd aliquid*

quid horum, de quibus contra me fama, & suspicio est, non feci, nec mandavi, nec consilium, aut favorem, seu authoritatem dedi, nec unquam ratum habui; quod forsitan meo nomine in hac causa inter Fratres Ordinum Mendicantium, & meos Cooperatores quondam apud S. Michaëlem hic Viennæ, contra pia Patrum decreta, facturum se asseruerunt: sic me Deus adjuvet, & omnes Sancti ejus.

Difficilior expeditu posteriorum trium causa fuit, quòd & Religiosi essent, & exemptos ab ordinaria jurisdictione se dicerent; cùm demum, ne Facultas odio potiùs, quàm justitiæ studio, agere videretur, posteriorum duorum causa prætermissa est, eo tamen pacto, ut Fratres humiliter Facultatem convenirent, ac spem futuræ facerent emendationis. Turriani negotium adhuc diutiùs tenuit, quòd sese interposuisset Scotorum Abbas, Ordinis S. Spiritûs ea tempestate Conservator. Verùm cùm Facultas conservatoris officium prædicti Abbatis se solùm extendere ad jura bonorum temporalium, non item ad jurisdictionem in moribus, & rebus fidei, responderet; Abbas mitiora amplexus, à Facultate certos obtinet deputatos, quibuscum causa Turriani agitata eo rei exitu; ut præter mulctam, quam persolveret, vitam posthac, & mores sese emendaturum sponderet.

An. 1510.

ALterum ingenti sanè splendore, hoc anno Serenissimum Rectorem Magnificum Universitas nacta est, *Franciscum* scilicèt *Sfortiam, Dei gratiâ Mediolani Ducem* (Fratrem Maximiliani Sfortiæ, Gallis Mediolanum usurpantibus Ducatu suo quoq; extorris) in festo S. Colomanni electum, Artium antehac Magistrum, & Juris in Universitate nostra Studiosum, qui præsens ipse Concilium Universitatis moderari Rectoratûs sui tempore non aspernabatur: à Fratris obitu subsidio Caroli V. An. 1521. Ducatûs Mediolanensis possessionem quidem adibat, quo tamen ob bella, invasionésque

Galli-

Gallicas minimè fruebatur. Sereniſſimo hoc ſub Duce militabant literaria ſtipendia Univerſitate in noſtra, & nobilitate, & eruditione alumni inſignes; Illuſtriſimus ſcilicèt Princeps Dominus Ludovicus Bavariæ Dux; Chriſtophorus, & Udalricus L. B. ab Eytzing, Cæſari ſubinde à conſiliis, Sigismundus de Puèchaim, Gvolhardus de Stein, aliíque complures.

Nec prætermitti hìc debet, qui diem anno hoc ſupremum clauſit, ùt Catalogus Ederi docet, Reverendiſſimus Dominus Juſtus Kaſman, Præpoſitus Eccleſiæ D. Stephani Cathedralis Tertius, & Univerſitatis Cancellarius, Sororius, ùt Acta Artiſt. ajunt, Joannis Cuſpiniani, Univerſitati multis diſſidiis obnoxius. Succeſſit ei in munere Joannes Buſchius.

An. 1511.

A Fædere Ludovicum inter Galliæ Regem, & Maximilianum ſancito, uterque acriùs, ille in Pontificem, hic in Venetos bellum inſtauravêre. Et Gallus quidem, cùm bellicoſum, & rebus ſuis in Italia minùs ſtudioſum Pontificem longo odio averſaretur, operam dedit, ut *Conciliabulum Piſanum* cogeretur; haud invito Cæſare, qui alieniore tum quidem à Julio Papa animo erat. Calendis igitur Septembris à *Segregibus Cardinalibus* Conventus Piſas indicitur; cujus Convocatoriæ tum Cardinalium, tum utriuſque Principis literæ apud *Odoardum Reinaldum* ad An. præſentem extant. Alias quoque Cardinales illi ad Univerſitatem noſtram dedêre, quarum ſequens eſt tenor:

Reverendis, & Egregiis Patribus, Rectori, Cancellario, Deputatis, & Conſiliariis, Magiſtris, & Doctoribus Almæ Univerſitatis Studii Generalis Viennenſis.

M*Iſeratione Divina Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi S. R. E. Cardinales in Lombardia pro bono Eccleſiæ con-*

convenientes, Reverendis, & Egregiis Patribus, Rectori, Cancellario, Deputatis, Consiliariis, Magistris, & Doctoribus Almæ Universitatis Studii Generalis Viennensis, salutem cum intelligentia, prosperitate, & directione Ecclesiæ Sanctæ Dei. Cùm frequentes Generalium Conciliorum celebrationes tanquam flumina Paradisi semper Ecclesiam Dei perrigaverint, rerigaverint, & fæcundaverint; illorúmque intermissiones tribulos, & spinas variarum dissensionum, errorum, & bellorum sæpius induxerint: quales hodie gravissimas (Deo permittente) patimur; effectum inde est, ut Divinâ illâ Constantiensi Synodo sancitum sit, ut decimo quoque anno Universale Concilium congregaretur: quod itaque animo revolventes S. D. Noster suæ creationis tempore, & Cardinales in conclavi existentes, nobiscum jurejurando, & solemni voto post biennium ab eo die Concilium convocare statuerunt: ad quod exequendum etsi Sanctitatem suam aliquando supplices hortati sumus, nihil tamen hactenus perfecimus cum sua Sanctitate, & nonnullis aliis Reverendissimis Dominis Cardinalibus id negligentibus, & nonnullis forsan ad id non liberis. Reputamus itaque jus omne, omnémque potestatem Concilii congregandi ad nos esse devolutam; ut voto nostro jurato satisfaceremus, Ecclesiæq; collabenti succurreretur, Concilium ipsum faciendum curare decrevimus: quod cùm in ditione Ecclesiæ, ubi liberum nobis, ac tutum id agere non fuerat, libertate nostri sacri ordinis plurimùm oppressâ, procurare non audemus; in Lombardiam secessimus; ubi post longum, maturúmque nostrum tractatum, plurimorúmque Divini, & humani juris doctissimorum Consilio, voluntate, & assensu Serenissimi, & Sanctissimi Domini Maximiliani Romanorum Imperatoris semper Augusti, & Christianissimi Domini Ludovici Francorum Regis Serenissimi, die Veneris, decimâ sextâ præsentis mensis Maji, auxilio Dei Omnipotentis, & spe bonæ adhærentiæ aliorum Principum, & fidelium, Generale Concilium Universitatis Ecclesiæ indiximus, & convocavimus, Kalendis Semptembris proximè futuri in civitate Pisarum inchoandum, continuandúmque usque ad definitionem bonæ, & con-

& constantis pacis inter Christianos Principes, belli sufficientis contra infideles, reformationis Ecclesiæ in capite, & in membris, extirpationis hæresum, Schismatum, & errorum in Christiana repub. vigentium, ac aliorum, quæ in Schedulis Congregationis continentur, quas Paternitatibus Vestris transmittimus in locis publicis, & consuetis affigendas, & à Vobis bene pensitandas, ut eligere ex probatissimis, Doctissimísque viris Universitatis Vestræ valeatis, qui ad tantam rem, & plures causas fidei in aliis Conciliis nondum conclusas, suis consiliis juvandas, mittendi sint, nobiscum de omnibus in commune consulturi. Ad quod, etsi nullo admonente, sponte properare debeatis, & teneamini; hortamur nihilominus plurimùm in Domino Paternitates Vestras, quòd tam Sancto, & necessario operi deesse nolitis, & ad constitutam diem nobiscum adesse consiliis, & rationibus plenissimè instructi, Christianæ Reipub. & Sanctæ Ecclesiæ causas curaturi. Et sic valete, ac nos in orationibus juvate. Mediolani XXIII. Maji MDXI.

Vestri Fratres Episcopi, Presbyteri, Diaconi, S.R.E. Cardinales pro bono Ecclesiæ in Lombardia convenientes, ùt supra, pro se, & adhærentibus sibi cum mandato.

Nomina porrò Cardinalium, à quibus tum convocatio Concilii facta, cùm literæ ad Universitatem nostram missæ sunt, fuerunt, ùt subscriptio convocationis habet, Bernardinus Episcopus Sabinensis Cardinalis S. Crucis. Guilielmus Episcopus Prenestinus Cardinalis Narbonensis. Philippus Episcopus Tusculanus Cardinalis Cenomanensis. Franciscus tituli SS. Nerei, & Achilei Cusendinus. Hadrianus tituli S. Chrysogoni de Carneto. Renatus tituli S. Sabinæ Bacocensis. Karolus tituli S. Viti in Macello de Fimario, Presbyteri Cardinales. Nec non Dominus Federicus S. Angeli de S. Severino, ac Dominus Hypolitus S. Luciæ in Silice Estensis S. R. E. Diaconi Cardinales.

Ha-

Harum tenorem cùm congregata 25. Julij Universitas legisset, unanimi suffragio decretum, ne præfatæ literæ publicè affigerentur. Et è re sua fore Facultatibus visum est, si nulla ratione Pisani conciliabuli partibus Universitas adhæreret: præcipuè, cùm inaudiisset à Julio Pontifice in annum sequentem apud Basilicam Lateranensem Concilium Universale esse indictum; Maximilianum quoque Cæsarem jam sensim à Conciliabulo abhorrere: nempe qui, ne ullus ex Germania Episcopus, Legatúsve Pisas mitteretur, statuisset. Inchoatum tamen est Conventiculum Pisanum Nonis Novembris; habitis ibi sessionibus duabus, deinde Mediolanum Segreges Patres confugêre: ubi, ùt Spondanus habet, Bernhardinus Cardinalis S. Crucis *Antipapa* sub Martini nomine renunciatus. Sed anno demum insequenti seipso dissolutum evanuit.

An. 1512.

SOlemnis sub hæc tempora Viennensibus ritus ille fuerat, quo singulis hebdomadis die Jovis Sacrosanctum Christi Corpus in supplicatione deducerent; majori autem, & accursu, & solemnitate die Jovis illo, qui proximus Novilunio fluxerat. Videbatur hic non paucis cultus gentilitatem, superstitionémque spirare: re igitur, nescio qua ex occasione, ad Cæsarem Maximilianum delatâ, ad Rectorem, & Facultatem Theologicam has Norimbergâ dedit literas:

Maximilian von GOttes Gnaden erwöhlter Römischer Kayser, &c.

Den ersamen, gelehrten, geistlichen, unseren lieben, andächtigen, N. dem Rector, Collegiaten, und gemeiner Facultet der Theologi unser Universitet zu Wien.

ALs in unser Statt Wien alle Wochen ein Procession mit unsers Herrns Fronleichnamb auff alle Pfin-

Pfinstag beschicht, werden Wür bericht, wie etlich daselbst zue Wien dieselbe wochentliche Procession mit mehrern Wesen, und Triumphiren, auf den Pfinstag, den der erste Monschein bescheinet, begehen; der Mainung, als ob es bey demselben Monschein besser, dann auff andere Pfinstäg seyn solt; dieweil uns nun solch ein Aberglaub, daraus ein Kezerey erwachsen mecht, gedunckt, empfehlen Wür euch mit Ernst, und wollen, daß ihr euch solcher obberührter Process halben, wie auch, durch wem, und auff was Grund, und Ursach die geschicht, und fürgenommen werde, eigentlich erkunt, und uns solches wider bericht, und eüren Rathschlag under eüren Insigl verschlossen anzeigt, damit wür GOtt zu ehren, und unsern H. Glauben zur Nothurfft ferner darein wissen zu handlen. Daran thuet ihr unser ernstliche Mainung. Geben in unser, und des Reichs-Statt Nüernberg in X. Tag Febr. anno 1512. unsers Reichs in XXVI. Jahrs.

Qua super causa cùm pluribus deliberatum esset, Rector, Theologi, & Collegiati conceptis hunc in modum verbis Imperatori respondêre:

Domino Maximiliano invictissimo, ac Serenissimo Romanorum Imperatori, & Principi, & Domino nostro Gratiosissimo.

DEvotissimas, ac indefessas erga Deum preces: accepimus jam pridem Cæsar invictissime, Vestræ Imperatoriæ Celsitudinis literas summâ, quâ debuit, & reverentiâ, & devotione, quibus vestra Cæsarea Mejestas seriò postulat, quatenus diligenti rerum indagine scrutemur, quo authore, aut quibus de causis in Urbe Viennensi Dominici corporis festivatio splendidiori cultu, pompâque ad quintas potissimùm Novæ Lunationis Ferias peragatur, cùm idipsum vel gentilitatis, vel etiam Judaicæ superstitionis impietatem (unde plerumque hæreticorum fomenta prorumpunt) prætendere videatur. Nos igitur, Cæsar clementissime, tanquam saluberri-

berrimis jussibus obsequiosissimi rem ipsam Vestris jucundissimam auribus hàc succinctâ narratione detegimus. Quippe quoniam memoratæ celebritatis Patroni, sive Præpositi, cùm suæ solemnizationis primordia inchoarent, festiviori quidem triumpho proximam post Novilunium quintam feriam concelebravêre, sed à prudentibus, & eruditioribus super hujuscemodi lunationis observantia redarguti, jam dudum captum deseruêre propositum, multò quidem ante quam Vestræ ad nos perlatæ sunt literæ. Novimus præterea eos ipsos magìs animi simplicitate, quàm hæreticâ pertinaciâ sua festa ad lunarium dierum numerum aliquamdiu, insolitos licèt, exercuisse; Neque idcirco hæreseos perfidiam (cùm pertinaces non fuerint) incurrisse; ipsa namque obstinata pertinacitas juxta doctrinam Catholicam potissimùm hæreticos efficit; at illi mox pia eruditione instructi, atque admoniti, quàm libentissimè cesserunt: ne tamen hæc ipsa superstitiosa lunarium dierum observatio Viennensi populo aliquam impiam Judaismi, vel gentilitatis opinionem vulgò ingereret, continuò memoratæ Fraternitatis Patronos enixè, atque ex debito hortati sumus, quatenus nec lunationem ullam, nec quidquam præter orthodoxæ fidei solitum cultum inter suas solemnisationes observent. Denique juxta vestræ Imperialis Celsitudinis desiderium super lunaribus superstitionibus hanc Catholicam asserimus sententiam, dicimus, & formamus: hanc dierum lunarium observationem ex Hebræorum umbratis, & emortuis cæremoniis, atque etiam ex profanis gentium superstitionibus initia traxisse; sic usquemodò turba Judaica suas Neomenias, hoc est, mensium initia festivissimè colit; quod & Psalmorum liber manifestissimè docet: Buccinate, *inquit*, in Neomenia tubâ, in insigni die solemnitatis vestræ, quia præceptum in Israël est. *Hunc quoque Ægyptii, Græci, Veterésque Romani, & lunæ festa, ejúsque superstitiones millenarias tanquam idololatræ, observavêre: Quorum nunc ritus tanquam impios, atque nefandos sacrosancta Christianæ Religionis fides, atque Majestas explodit, abjicit, atque contemnit; Hieremia sic vaticinante:* Juxta vias Gentium nolite discere,

ſcere, & à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes &c. *Plurima ſunt hujuſmodi ſcripturarum teſtimonia, quæ ſtrictim epiſtolaris non capit anguſtia; ne tamen, Cæſar inviſtiſſime, veſtram Majeſtatem Imperatoriam, grandia, & ſplendidiſſima Chriſtianæ Reipubl. negotia cogitantem, longis teneamus ambagibus, receptui canimus: nos ipſos, omnémque operam noſtram ſtudioſiſſimam veſtræ Imperatoriæ Celſitudini ſemper obnoxiam, ſempérque devotiſſimam, quàm humillimè commendantes. Datum Viennæ ex Collegio Gymnaſii.*

Thomas Velocianus Auſtriacus Rector, Theologiæ Profeſſores, Magiſtri Collegiales Studii Viennenſis, Veſtræ Imperatoriæ Celſitudinis Oratores ſeduli.

Cæterùm, cùm etiamnum, ùt Acta noſtra notârunt, Viennenſis Eccleſia Antiſtite eſſet orbata, controverſia rurſus Officialem inter, & Univerſitatem de jurisdictione in homines ſacros Univerſitati ſubjectos, rebúsque eorundem teſtamentariis recruduit. Tuebatur ſe Univerſitas datis ſibi tum ab Auſtriæ Principibus, ac à Pontificibus, cùm à Concilio Baſileenſi juribus: Lis hæc indeciſa in annos complures, eſt protracta.

Romæ interea 5to nonas Maji inchoatum eſt magnâ pompâ Generale Concilium Lateranenſe Quintum, præſidente ipſo Julio Pontifice; cui Cardinales 15., Patriarchæ Alexandrinus, & Antiochenus, Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi 77. Multi Abbates, & Principum Legati interfuêre. Ac primò quidem Concilium Piſanum irritum declaratum eſt; habitis deinde anno hoc Seſſionibus duabus, cæteræ annis ſequentibus ſub Julii ſucceſſore, Leone X. coactæ; dum annô 1517. ſunt terminatæ.

An. 1513.

Altùm etiamnum in Italia ardentibus belli Gallici, & Veneti flammis, ipſo ferè Concilii Lateranenſis principio, 9no Kalendas Martii Julius II. Pontifex

obiit:

obiit: ei successor Cardinalium Conspiratione, ùt vocant, 5to Idus Martii Joannes Mediceus, qui Leo X. nominari voluit, datus est. Cui plurimum sanè debet Universitas nostra, in quam primo mox electionis suæ anno mirè erat beneficus; non modò enim missis eum in finem ab Universitate Nunciis, Statuta ejusdem confirmavit, sed & Privilegium à Concilio Basileensi antehac Archi-Gymnasio nostro concessum, quo ad res Academicorum testamentarias, júsque absolvendi eos, qui in excommunicationem Canonis, *si quis suadente*, inciderint, iteratò indulsit: prout fusiùs videre est in confecta desuper Bulla, quam ex Universitatis tabulario exscriptam quidem, pagellis tamen hisce, quia longior, inserere supersedemus.

Priusquam confirmatio hæc Privilegiorum Româ obtineretur, hospitalariæ domui, quæ à Facultate Artistica proximè ad Stubarum portam, grassante sæpiùs epidemica lue, ingenti Academiæ alumnorum bono ab Anno 1494. extructa, S. Sebastiani Sacellum adjectum est. Primus 5to die Aprilis lapis per Reverendum in Christo Patrem, ùt Acta loquuntur, Præpositum ad S. Stephanum, studiíque Viennensis Cancellarium jactus est, tametsi controversia adhuc superiori anno recitata, Universitatem inter, & Officialem Viennensem vigeret: interdicto quidem Facultatem Artium involverat Officialis Viennensis Georgius Angrer, si structuræ Sacelli prosequendæ insisteret: quia id tamen consensu Capituli ad D. Stephanum cæptum, nováque Officialis eam in rem requisiti authoritas accesserat, ædificium est continuatum eâ adjectâ conditione; *ne id in præjudicium futuri Ordinarii cederet.*

Haud diu post, posteaquam decem ferè annos Diecœsis Viennensis vacâsset Antistite, datus est eidem Episcopus *Georgius à Sclavonia* Carniolanus Labacensis, Administrator antehac Petinensis, Cæsari Maximiliano à Consiliis, & Sacris Concionibus, à quo, non obstante Bulla Pontificia paulò ante memorata, *circa jurudi-*

risdictionem, & res testamentarias in Clerum Universitatis, controversia est resumpta. Cæterùm præfuit Ecclesiæ Viennensi magna cum laude annis novem, ùt ad annum 1522. dicetur.

Interea, ùt Ederus cum Actis Artisticis ad annum hunc annotant, 20. Maii, ipso nempe festo Corporis Christi die in Suburbiis Academicos inter, & vinicolas (*Ligonistas* vocitant) rixæ enatæ sunt, eâ causâ, quòd à duobus scholarum alumnis acerba, & contumeliosa in id genus Ligonistas conjecta sint. Ortæ inde altercationes, & clamores primùm, concursus deinde, ùt fieri solet, partium; demùm velitatio inter utrosque. Cessêre primi studiosi, & in domum se recepêre, è qua contra rusticorum turbam tribus ferè horis strenuè se defenderunt. Advolat interea Civitatis Judex cum Academiæ Legatis seditionem compositurus: sed incassùm. Magister enim Quirinus Teininger à lictore vinô æstuante cùm bipenni confossus esset, civis item alter trucidaretur; Joannes denique Ecker Artium Pedellus multis vulneribus læderetur, scholares in rabiem acti rursum in rusticos impetum faciunt; dum eos denique in turpem fugam compulêre. Quæ clades cùm in urbe innotuisset, studiosi undique confluere, insurgere in Magistros suos, scholarum portas perfringere, ac in ipsum Ducale Collegium irruere, daturi stragem, nisi Magnifici Domini Rectoris singulari prudentia fuissent mitigati.

Anno tandem isto, ipso Pervigilio Commemorationis Fidelium defunctorum, teste Cuspiniano, & Actis nostris, cineres Divi Friderici IV. monumento, à Maximiliano I. Cæsare, filio piissimo, tandem absoluto magnificentissimè sunt illati, Antistite Viennensi Georgio à Sclavonia, universo Clero, & Austriæ Proceribus funebrem pompam honorantibus. Sermonem de laudibus Friderici dixit Joannes Cuspinianus Universitatis Superintendens. Moles hæc cùm & pretii summi (nam errogatas Cuspinianus ait in eam plus

 quàm

quàm quadraginta numorum aureorum millia) & artificii singularis à nullis non prædicetur, juverit descriptionem illius ex Authore Memorab. de templo, ac Turri ad S. Stephanum, Universitatis nostræ historiæ inserere:

* Augustum hoc monumentum, quod longitudine sua 5. facilè ulnas, latitudine verò 2 ½ complectitur, ex albo, purpureíque coloris marmore exurgit: undique artificio incredibili efformatis ferarum, bestiarúmque formis instructum, pluribúsque, quàm centenis imaginibus ad Majestatem summam exornatum, quarum quælibet unum, & medium pedem altitudine sua æquat. Superiùs imminent triginta Provinciarum hæreditariarum insignia, atque in quatuor sepulchri angulis Electorum Principum pari è lapide eleganter elaboratæ effigies, inter quas media Friderici ipsius imago Imperatoriis vestibus, coronáque ad omnem venerationem elaborata conspicitur: Ex ore illius quinque hæ vocales: A. E. I. O. U. quibus, dum viveret, sæpiùs usus fuisse, dicitur, prodeunt. His alii Cæsarem significare voluisse contendunt: *Aquila, Electa, Justa, Omnia, Vincet.* Alii interpretantur in hunc sensum: *Austriæ Est Imperare Orbi Universo.* Alii: *Austria Erit In Orbe Ultima.* Alii deniq; Oedipi alias symboli illius divinant significationes; ut quadraginta ejus nonnulli recenseant. Imaginem Friderici circumdant scuta Gentilitia Domûs Habspurgicæ: Ad verticem verò effigies S. Christophori puerum Jesum humerìs gestantis erigitur; appensæ denique à Maximiliano binæ æreæ tabulæ aurô obductæ, in quibus vita, diésque obitûs descriptus est. *

An. 1514.

Composito superiori anno Studiosorum tumultu, novus, ísque major, qui vulgò *Bellum Latinum* nominabatur, anno hoc exortus est. Ubi enim occasione dictæ rixæ ab Austriæ Regentibus cingulorum

locô

locô jus deportandi arma Studiosi extorsissent, crebriores cum opifium turbâ factiones sunt concitatæ: quæ res Facultatem Artium, sub cujus potestate in Bursis plerique vivebant, movit; ut per Magistrum Vincentium Rogkner Cæsari à secretis ageret de abrogando privilegio. Novum igitur in Alumnos Academiæ decretum promulgatur, quo arma deportare prohiberentur. Obsequuntur Scholastici; verùm cùm hi cingulis rursum inducti ludibrio, & joco essent indoctæ multitudini, armorum usum violentiùs rursus extorquere connituntur. Rejecti omnes, & postulata denegata: ad hæc factionis authores, multis etiam minis territi primùm, tum ex urbe abesse jussi. Quibus moti, commune Alumni fædus ineunt, Præfectos, Capitaneósque sibi ex Bursis, Codriisque designant, & turmis suis præficiunt. Erecto demum ipso pervigilio D. Laurentii vexillo Viennam 800. numero egressi rectà Maximilianum Cæsarem, erat is tum Welsæ superioris Austriæ oppido, petunt. Quò cum attigissent: Cæsari *Melchioris Seütter* latini exercitûs Oratoris operâ itineris causam exponunt. Optimus Cæsar seu Juventutis simplicitate, seu literarum amore permotus, milites Scholasticos honestô donatos viaticô cum clementiæ significatione redire jubet, atque causam omnem Illustrissimo Principi Domino Ernesto Marchioni Badensi, vices Cæsaris in Austria gerenti, commisit. Repetunt illi Viennam in vigilia Nativitatis Mariæ: atque non cingulorum ponendorum modò impetrant facultatem, sed & armorum usum; atque sic Latinum Bellum est confectum.

Sub finem jam erat annus. cùm Rector Magnificus ex commissione Cæsaris literas accipit, quibus mandatum; ut Facultas Theologica, & Matheseos Magistri, quosdam designent, *qui conficerent*, ut Acta loquuntur, *rectificationem Calendarii super festo Paschatis*. Nominavit Facultas Theologica duos egregiè scientiæ peritos, suos item Facultas Artium Mathematicæ Magistros;

ſtros; qui brevi interpoſito temporis ſpatio modum, rationémque Calendarii, celebrandi Paſchatis causâ, confecêre, documento deſuper confecto ad Cæſarem transmiſſo.

An. 1515.

Sub anni initium Syndicus Ingolſtadienſis Academiæ, Udalricus Wolff, quòd minùs benevolas ab Univerſitatis noſtræ Conſilio antehac nactus ſit aures, libellum ſupplicem Auſtriæ Regentibus porrexerat, quo Gymnaſii ſui, ac Bavariæ Ducis nomine orabat; darent Regentes in mandatis Rectori Magnifico, ac Univerſitati noſtræ, ut ab eadem ſibi privilegia, ſtatuta, conſuetudines, libertatéſque tum à Pontifice, cùm Auſtriæ Ducibus Archi-Gymnaſio indultas extraderentur, quas ritè deſcriptas & authoritate Notarii ſignatas cum Ingolſtadienſi communicarent. Miſerant deſuper Regentes decretum ad Univerſitatem; verùm omnibus Facultatibus viſum: *Originales literas ob multa pericula non eſſe extradenda: deinde quòd privilegia ab Auſtriæ Ducibus conceſſa non ſe extendant ad Bavariæ jura:* effectúmque, ut nullo legationis fructu Syndicus Ingolſtadium rediret.

Sub medium deinde Julium ſpectavit Vienna conventum, ſuáque intra mænia concluſit eos Reges, ac Principes, quos una in civitate collectos nec ulla antea ætas vidit, nec Majeſtate pari locus ullus ſuperavit. Aderant ſiquidem ex condicto Viennenſi in urbe Maximilianus Cæſar, quò Welsâ deſcenderat; aderat Uladislaus Hungariæ, & Bohemiæ; Sigiſmundus Poloniæ, Reges fratres; aderant Ludovicus, & Anna Regiæ proles Uladislai: aderat Maria Caſtellæ Infans Maximiliani ex Philippo, & Joanna Neptis; aderant Cardinales duo, Mathæus Gurcenſis Antiſtes, & Thomas Strigonienſis Archi-Epiſcopus: Nuntius item Apoſtolicus Leonis X. Epiſcopus Feltrenſis: aderant Wilhelmus Bavariæ Dux; Joannes ex iiſdem Bavariæ Duci-

Ducibus Ratisbonensis Præsul ; Casimirus Brandeburgensis Marchio ; Albertus Dux Mechleburgicus ; Udalricus Würtenbergæ Princeps, cum Hispaniæ, & Angliæ oratoribus : aderant denique Colocensis, & Bremensis Archi-Episcopi ; Georgius Quinque Ecclesiensis ; Mathias Uratislaviensis ; Stanislaus Olomucensis ; Ladislaus Vaciensis, Wigileus Passaviensis ; Christophorus Labacensis ; Petrus Primislaviensis ; Joannes Posnaniensis; Bertholdus Chiemseensis, Episcopi, pluresque alii utraque ex Republica Proceres. Actum hoc in congressu præcipuè de pace has inter coronas mutuô conjugiô firmandas ; unde peractis celeberrimo ingressu in templo Divi Stephani officiis Divinis, quæ Viennensis Antistes Georgius à Sclavonia tanta in summorum capitum corona peregerat, ibidem per Reverendissimum Cardinalem Strigoniensem Anna Uladislai filia Ferdinando Cæsaris Nepoti tum absenti ; deinde Maria Cæsaris Neptis, Caroli, Ferdinandique Soror, Ludovico Uladislai Filio, sunt desponsatæ : successio item in Regna Hungariæ, & Bohemiæ, si mascula proles Uladislai deficeret, Domui Austriacæ confirmata ; pluráque alia Regnorum negotia confecta sunt. Totius hujus conventûs seriem, festivitatésque rerum singulis diebus gestarum *Diario* complexus est Joannes Cuspinianus. Tribus item libris, quos *Hodœporicon* vocat, eundem descripsit Perusinus Cardinali Gurcensi à Sacellis.

Nec minor Universitati nostræ ab hoc conventu splendor, & existimatio ; nam præterquam quod ingressuri Viennam Cæsar, ac Reges extra urbis portas à Rectore Magnifico, quatuor Facultatum Doctoribus, ac Academiæ alumnis omnibus pulchro ordine comitantibus excepti ; Cæsar etiam, Reges, Reginæ, Duces, Cardinales, & Episcopi ferè singuli à singulis Universitatis Magistris apto eam in rem sermone sunt salutati : qui subinde in unum collecti typis vulgabantur :

elegantes ſanè, & pro eo tempore terſi: quorum Exemplum inter libros Facultatis Artiſticæ aſſervatur.

An. 1516.

DUm à morte, quam anno hoc obiit, Ferdinandi Catholici Hiſpaniarum Regis Carolus Regnum Hiſpaniarum obtinet; ſub menſem Majum ab Auſtriæ Regentibus, adnitente potiſſimùm Cardinali Mathæo Epiſcopo Gurcenſi, rurſus Decretum impetratur; ut Scholarum alumni abjectis armis conſueto habitu, certique coloris uterentur.

Refert quoque Ederi Catalogus ad annum præſentem, obitum Reverendiſſimi Præpoſiti ad D. Stephanum, Univerſitatiq; à Cancellis, Joannis Buſchii, Theologiæ Doctoris; nominato ejus in locum Paulo de Oberſtein.

Adivit anno hoc, & famâ excitus, & eruditionis periclitandæ causâ Univerſitatem noſtram Spectatus in paucis ſub ea tempora Vir, *Joannes Eckius* Artium, & Theologiæ Ingolſtadii Doctor, ibidem Pro-Cancellarius, & Canonicus Aichſtadienſis, futurus poſtea Religionis Catholicæ invictiſſimus adversùs Martinum Lutherum Propugnator. Dederat hoc de ſuo itinere, rebúsque à ſe Viennæ geſtis, ac viſis epiſtolam benè longam ad Reverendiſſimum Epiſcopum Aichſtadienſem, quæ quoniam permulta, quæ ad Academiæ noſtræ ſub id temporis notitiam, commendationémque faciunt, complectitur, haud abs re me facturum duxi, ſi, quæ ad hiſtoriam noſtram attinent, in gratiam benevoli Lectoris adduxero, ſic itaque in laudata epiſtola ſcribit:

Cauſam autem primariam itineris mei, vel me tacente, non obſcurè novit Paternitas tua Reverendiſſima, compertum jam pridem habens, quid ſit in votis Eckio, quámq; ardenter diſputatorium obeat munus, ac ſcholaſticam argumentandi pugnam exerceat. Et cùm aliàs Agrippinam viderim, Heidelbergam, Friburgum, Moguntiacum, Tubingam,

gam, Basileam, ac anno superiori magnis impendiis Bononiam; Vienna tantopere celebrata videnda supererat, &c. Vigesimâ octavâ Julii Viennam applicuimus; cœpi mox ego altero die cum bonis viris, Domino Joanne Cuspiniano præsertim, de habenda per me disputatione verba facere: & vigesimâ nonâ Julii Almæ Facultatis Theologicæ Decanum adii pro Patribus quàm primùm convocandis: qui difficilem se exhibuit; quòd Patres gravissimi non facilè, aut fortuitò, sed statis observationibus convenirent. Tandem primâ Augusti Theologis convocatis proposui vota mea, perbrevi captatâ benevolentiâ supplex rogans: ut me ad disputandum viâ regiâ admittere dignarentur; optione eis datâ materiæ eligendæ cujuscunque, principaliter à Theologis in Sententiarum Commentariis tactæ.

Differebatur viri eruditissimi desiderium: nam paratos se ad disputandum quidem Theologi obtulêre, ea tamen lege, ut tantisper Eckius Viennæ moraretur, dum finitis studiorum feriis rursum ad scholas reverterentur; quòd si tamdiu expectare ei non esset integrum, facultatem ei fecerunt, ut, cùm Theologi sub Priore Collegii Ducalis singulis feriis sextis disputationem haberent, Respondentem ad defendendum susciperet. At cum ardentiùs publicum ineundi disputandi exercitium à Theologis nostris Eckius oraret, hoc demum à Reverendo *Martino Hupero* ex Ordine Prædicatorum Theologiæ Decano tulit responsum: *Domine Doctor, finale habuistis responsum, & singulariter hoc tempore, videlicet disputationum aularium, non est locus, nec opportunitas, alterius disputationis Theologicæ; rogo itaque, ne molestetis Facultatem, aut me.*

At omnia susque déque faciens forti animo, pergit Eckius, *perdurabam*, *cúmque* Reverendi*ssimum Episcopum Viennensem Georgium miræ integritatis, ac raræ probitatis virum adiissem, quasi ejus favore Viennâ rursum abiturus, eique, me desideriis meis in Facultate Theologica disputandi frustratum, essem conquestus; operâ ejusdem Reverendissimi, ac* Laurentii Saurer, *ærarii Austriaci Præfecti, vulgò Vice-*

 Domi-

Dominum appellant, & Philippi Altinger *Juris utriusque Doctoris, Austriæque Quæstoris id effectum est, ut re ad Regimen Cæsareum delatâ, decreverint, ut postero die manè Respondentem Dominum* Augustinum Morium, *Canonicum Regularem Ulmensem tuerer in materia confessionis, ac ipse 18. Augusti absque respondente viâ regiâ disputarem in majori Aula Universitatis, &c. itaque eo die obtuli eis materias tres, unam de Divinarum Personarum productionibus; alteram de Substantiis separatis Angelicis: tertiam de Castrorum impignorationibus, fructibus in sortem non computatis, de reditibus perpetuis, ac pecuniariis, de vitaliciis, de pacto retrovertendi, &c.*

Itaque sequenti die, utì decretum erat, Augustini, pro virili meâ, strenuum egi propugnatorem; quatuor tamen duntaxat erant argumentantes; in causa fuit, quòd Respondens diutiùs pro more Facultatis in probandis positionibus versaretur, & quod Dominus Joannes Heckman *Ostro-Francus sacræ Theologiæ Licentiatus, ac Canonicus Viennensis, apud suos ùt Chrysippo acutior in Logicis nodis habitus, prolixiùs: respectus à rebus absolutis separari, ac majorem esse, quàm denarium prædicamentorum numerum, contenderet: diu quoque in illa luctabatur consequentia, quam probandam susceperat:* Adam est confessus in paradyso, ergo Adam est Adam, &c. *Tanta porro erat auscultantium multitudo in loco minùs capaci, & arcto, tantáque pressura, ut Juvenis pressus viribus destitutus, syncopi deciderit, &c.*

Adveniente deinde 18va die Augusti, ordinaverat Cæsareum Regimen tanquam disputationis Superintendentem egregium, ac præcellentem Virum Georgium Besserer, *utriusque Juris Doctorem Suevum, quo omnia modestè, graviter, & sine turba fierent. Itaque breviuscula Oratione præhabita, disceptatio ipsa agi cœpta est in frequentissimo ac maximo Doctorum, adde etiam Laicorum, consessu; quorum cùm ego objecta diluerem, ipsi rursus repugnabant: Atque ita summa cum maturitate, doctrina non vulgari, disceptatio antemeridianis, & pomeridianis scholis, tota est habita.*

Post

Post hæc recenset multo elogio præcipuos ejus temporis Theologiæ Doctores, ita inquiens: *At fortè dignissime Antistes scire percupis, qui rem strenuè gesserint, & graviter in palæstra literaria versati sint? hos noverit Reverendissima Paternitas tua fuisse præcipuos: argumentatus est Doctor* Martinus Huper *Facultatis Theologicæ Decanus ex sacro Prædicatorum Ordine, Vir admodùm acutus, & hujus scholastici exercitii gnarus: Doctor* Joannes Trapp, *maturæ eruditionis, ac Doctrinæ Vir, Leucoteciæ Parrhisiorum alumnus: Doctor* Joannes Camers *Italus Divi Francisci Sacerdos variâ Doctrinâ præditus, Musarum Antistes, & historiæ diligens scrutator, qui ex Studio Paduano (ubi cum magna laude Philosophiam est professus) ad Viennam concessit, & primus Doctoris subtilis Joannis Duns Scoti dogmata subtilissima plenis velis Viennensi Gymnasio invexit: Doctor quoque* Joannes Lentsch *Wisenburgicus, industrius Neotericorum sectæ adsertor: Doctor* Christophorus Külber *ingenio, ut mihi videbatur acuto, accuratè, & in forma, ùt ajunt, rationes suas validas ad amussim stringebat. Post sacræ Theologiæ Doctores locus datus est Facultatis Artium Decano, ac Domino* Joanni Heckman *sacræ Sophiæ Licentiato, in quo solo desiderâssem majorem modestiam: nam is omnia clamoribus opplebat, ac scholasticis sua volebat propenere argumenta.* Thomas *item* Resch *cognomento Velocianus, amœnissimi ingenii Vir, in sacra Theologia, & humanioribus literis laureâ insignitus, afferebat pleraque remotiora ex Divi Augustini, & Platonis, de Angelicis Spiritibus, sententiâ, &c. Sicque Actus disputatorius Rectore Magnifico* Victore Gamp, *Doctore* Georgio Besserer, *ac Facultatis Decano sic volentibus, supra vota etiam celebriter finitus est.*

Enarratâ hunc in modum disputatione suâ, paucis interjectis aliis, celebrare pergit à se Viennæ conspecta, tum Archigymnasii, tum aliorum clarissimorum virorum literaria monumenta, ita scribens: *Sed juvabit forsan dignissime Præsul & alia à me illic visa commemorare? Primò omnium nobilem illic vidi supelectilem librorum non-*

nondum in lucem editorum: inprimis clarissimorum Doctorum, Henrici de Langenstein Hassiæ *in Librum Geneseos; & Henrici de Oyta Frisii in Theologicas sententias Commentarios carnosissimos. Hi enim duo ab Illustrissimo Austriæ Duce Rudolpho ad novellam Gymnasii plantationem à Parrhisiorum Leucotecia vocati fuerunt: cœptum est autem Viennense Gymnasium præfato Duce Rudolpho Fundatore, XXVI. Annos nato, Anno à Natali Christiano, M. CCC. LXVI. in Divi Georgii Martyris festo: Sepultura eorum Doctorum in æde Divi Stephani visitur. Multa quoque illic præclara extant in Mathematicis opera, ac instrumenta à Mathematicorum Principibus* Georgio Peüerbachio, Joanne *de* Monteregio, *ac aliis elaborata; Nam Mathematicæ Studiosos semper habuit hæc Universitas. Vidimus etiam* Georgium Trapezontium *Peripatheticum, ac singularis eruditionis virum in eleganti opere, quod pro Aristotelis defensione contra Platonem, & Academiam scripsit, ex Biblioteca Mathiæ Regis Hungari victoriosissimi allato, contra quem ob id Bessario apologiam Platonis edidit. Doctoris quoque* Joannis Camers *Cordigeri, cujus meminimus, nonnulla Francisci Mayronis in sententiis scripta subtilissima, nondum à calcographis excusa. Et alia id generis non parum multa.*

Sed id memoratu dignissimum, quod Viennæ apud Augustinianos (quos nunc de Larga Manica vocant, quorúmque monasterium ab Ottone Austriæ Duce circa annum 1338. vitâ functo extructum, sub id tempus eo ipso in loco steterat, ubi nunc Cœnobium à Patribus Augustinianis Eremitis Discalceatis inhabitatum, conspicitur) *sepulti sunt summi Theologiæ Proceres* Georgius de Arimino, *acumine ingenii super veri fidem excelso*, & Thomas Argentoratensis, *facilis, ac resolutus Doctor* (quorum uterque Prior Generalis Ordinis, ille Parisiensis Academiæ præclarum lumen, iste in pluribus per Italiam Gymnasiis clarus; uterque Viennæ, ille quidem, ut Possevinus habet, anno 1358. iste verò 1357. mortuus) *quorum tamen epitaphia erant incondita, barbara,*

bara, & numeris inconcinnis duriuſcula. Rogavi amicum noſtrum Joachimum Vadianum Helvetium, abſolutiſſimum Muſarum Antiſtitem, qui id favente propitiâ Minervâ præſtare poſſet, ut elegantius, ac terſius tantis viris excuderet elogium; qui etiam ſe hoc facturum non gravatim promiſit, & protinus exaravit: quod quia politum eſt, & elegans, placuit hìc inſerere.

Viennæ ad ſepulchrum Gregorii de Arimino, Joachimi Vadiani ex perſona Gregorii Epitaphium.

Dulce ſolum patriæ tribuit mihi Ariminum ingens
Adriaci ſocias; qua Padus intrat aquas.
Me Juvenem Auſoniæ cæperunt mænia Romæ,
Donarúntque bonis artibus ingenium.
Mox ubi ſuccrevit ſtudiis vehementior ætas,
Atque animo cæpit candidiore frui;
Divinas arteis, & myſtica ſacra profeſſus
Parrhiſii, Gallus qua colit arva, ſoli:
Interpres Divum, naturæ hominúmque ferebar,
Et primus tanta mì fuit urbe locus.
Inde ubi tot no[...]ros tempus declive labores
Fregit, & è Senio mens mihi feſſa fuit.
Ipſa Vienna locum noſtræ dedit apta quieti,
Qua celer amplificis infremit Hiſter aquis.
Pulchra Vienna viris, & terræ munere dives,
Auſtriadæ ſobolis, Pannoníæque caput.
Hæc, ubi deſerto migravit corpore vita,
Occluſit dulci membra caduca ſinu.
Mente fruor Divûm aſpectu, & cæleſtibus oris,
Quódque animus petiit muneris, illud habet.
Si quæ meum nomen terris modò fama ſequetur,
Ingenii nobis hanc monumenta ferent.

Hucuſque, & plura alia memoratu digna Eckius in laudata Epiſtola: quem vigeſimâ ſubinde Auguſti in Bavariam redeuntem Rector magnificus, Decanus

Theo-

Theologiæ, & Superintendens Joannes Cuſpinianus publicis rei ab eo præclarè geſtæ coṁendatitiis ad Sereniſſimum Bavariæ Ducem, alióſque ſunt proſecuti.

An. 1517.

Libuit fuſiori calamo Eckii laudes de Univerſitate noſtra in medium adducere; ut uno veluti obtutu inſpiciatur, quis tunc adhuc vigor, quis ejus ſtatus: abinde enim turbata novis Lutheri dogmatibus non Germania modò, ſed cum Auſtriacis Provinciis, atque Viennâ, ſenſim Univerſitas non parum emarcuit: datum enim Anno hoc initium ſectæ, ſi ſuperis placet, Evangelicæ à Martino Luthero, Auguſtiniano Monacho: Nam cùm, ùt ait Spondanus, is jam multo tempore pietatem faſtidiret, atque etiam palàm traducere Doctores Theologiæ Scholaſticæ primùm, ùt rudes, & incultos; deinde ùt Evangelii per Sophiſticam Philoſophiam corruptores, cœpiſſet: año ſuperiori 1416. contra illos de libero arbitrio, meritis bonorum operum, & traditionibus orſus eſt; ubi demum ex occaſione promulgationis indulgentiarum, quas ituris adverſùs Turcam, qui orbi Chriſtiano formidandus imminebat, certámve collaturis in id bellum penſionem Leo Pontifex indulſerat, anno hoc adverſùs peccatorum venias è Cathedra inſaniit, poſitionéſque edidit, in quibus Doctrinam jam antehac adverſùs hæreſiarchas condemnatam, palàm aſſerebat. Atque his ex ſcintillis mox eruperunt futura perverſæ doctrinæ incendia, quæ aquæ guttula, ùt ajebat *Sadoletus*, prudenti, & forti manu adhibita extingui potuiſſent. Id tamen velut in proloquio ad hæc tempora Univerſitati dandum commendationis; quòd tametſi non pauci ſubinde ejuſdem alumni ad nova defecerint dogmata, Saniori tamen, & meliori ſui ex parte ſemper avitæ Religionis propugnatrix, & Catholica fuerit.

Hæc dum foris fervent; non deerant domi noſtræ, quæ curarentur. Præterquam enim, quod non acquie-

acquiesceret Bullæ Pontificiæ ad añum 1513. recitatæ, Reverendissimus Viennæ Antistes: alia multa in præjudicium Universitatis, à Civibus incommoda facessuntur: ne ergo detrimentum jura Universitatis acciperent, Rector Magnificus, ex Consilio Quatuor Facultatum, gravamina in unum redacta conscribi jubet ad Cæsarem transmittenda. Jámque ipse Rector viæ se accinxerat mense Septembri, cùm nuncio perfertur, Cæsarem Viennam iter instituisse. Igitur Magister *Joannes Abhauser* ad Maximilianum missus, id responsi ad Universitatem reportavit: Cæsarem Litis compositionem commisisse Consiliariis suis procurandam. Verùm ubi ea re sibi parum prospectum Universitas adverteret, ad Cæsarem iterum delegat Magistrum *Sebastianum Wunderl* Licentiatum in Theologia, qui, dum viveret Maximilianus causam Universitatis quidem egit, etsi ad optatum exitum, & finem non perduxerat.

An. 1518.

CONVOCAVIT Maximilianus Cæsar Imperii ordines Augustam Vindelicorum; quorum in comitiis tametsi plurimùm de bello Turcico, déque Carolo Nepote in Cæsarem creando, actum sit; non minùs tamen deliberatum; qua ratione nova doctrina supprimeretur, Aderat Comitiis Lutherus, qui versipellem induens revocationem dogmatum suorum adpromittebat; sed mox, ubi Comitiis excessit, depositâ larvâ veterem vultum referebat. Certè recitat Bredenbachius, *supra Lutheri cucullum illu in comitiis sedentem Dæmonem à Maximiliano Cæsare conspectum*. Redux ergo Lutherus, cùm suos divulgare errores pergeret, jámque Academicos Wittenbergenses, aliósque quàm plures lue sua infecisset; eosdem non pauci Theologi, quos inter præcipuè laudatus paulò ante Joannes Eckius, impugnandos, exagitandósque suscepêre. Sed potentiori remedio (ùt ipsemet Maximilianus Ponti-

fici

fici significârat, operam suam deferens) opus fuisset; nisi mitioribus primùm & Pontifici, & aliis pestiferum malum curandum esset visum. Lutherus igitur Romam evocatur; ne tamen iret, per Fridericum Saxonem effectum.

Inter has & Regnorum, & Ecclesiæ turbas, Maximilianus Cæsar investigandæ Domûs Habspurgicæ origini, cæptum multos jam ante annos Studium, in quod plurium ingenia sollicitaverat, prosequi constituit; Cæteras inter opiniones cùm Joannes Stabius, in eam propenderet: Domum Habspurgicam à Noë, & Cham ejus filio non interrupta serie propagatam: tametsi ea sententia, ùt Lequileus de rebus Austriacis refert, plurimùm Maximiliano displiceret, dedit tamen ad Universitatem literas, ut certos de Facultate Theologica deligeret, qui Genealogiam à Noë inchoatam ad Sicambrum usque, si fors quidpiam sententiæ Joannis Stabii, aliorúmque ejusdem mentis, subesset veritatis, contexerent: cujus imperio obsequuta Facultas, per designatos eum in laborem Doctores, Joannem Trapp, & Joannem Camertem, desideratam complexa est Genealogiam, Cæsaríque transmisit.

An. 1519.

IPso fere hoc in ornandæ Domus suæ, qua ortus est, conatu, anni scilicet hujus initio vitam mortalem posuit Augustissimus Cæsar Maximilianus. Dum enim superiori anno, ùt Roo recitat, solutis Augustæ comitiis Oenipontum profectus, variis Legationibus operam daret, Nepotísque Caroli in Imperio successionem identidem urgeret, lenta febri corripitur. Welsam oppidum mutandi soli causâ cùm venisset, morbúsque intenderetur, ibidem substitit; Georgio quodam Carthusiano, qui olim ei à confessionibus, Friburgo acciri jusso; multa cum eo de salute animæ, rebúsque Divinis comentatus. Viennâ præter Domesticos, Guilielmus Polymius, & Georgius Collimitius Academici

Medi-

Medici ſunt accerſiti; interdiu Oratores, noctu, quòd inſomniis ageretur, Joannem Stabium res Auſtriacorum legentem audiebat. Ultimis demum ſacris ritè perceptis animam Deo 12ma Januarii reddidit, ùt Acta Univerſitatis tradunt, tertiam inter, quintámq; horam matutinam, cùm vixiſſet annos prope ſexaginta; & triginta duos imperâſſet. Cadaver, ùt juſſerat, in tumbam, quam teſte Cuſpiniano, quinque & ampliùs annis arcæ inſtar, cæteris rei ignaris, circumferebat, impoſitum; Viennam primùm, deinde Neapolim Auſtriæ deportatum: ubi ſub Divi Georgii Ara etiamnum conditum, anaſtaſim præſtolatur. Comitabantur Funus Welsâ Viennam uſque, iiſdem Actis teſtantibus, Cardinalis ſancti Sixti, & Erneſtus è Bavariæ Ducibus Pataviensis Eccleſiæ Adminiſtrator. Univerſitas Imperatori Optimo, cui non conſervata modò, ſed aucta etiam jura ſua, ſtudiorúmque incrementa perpetuò debet, Viennæ primùm ad D. Stephani parentavit; funebrem inde pompam Neoſtadium atris induta deduxit, Philippo Gundelio Humanitatis Magiſtro de laudibus Literati, & literatorum meritiſſimi Principis perorante.

Quieſcentibus licèt Neoſtadii in Auſtria Maximiliani cineribus, Oeniponti tamen in Tyroli Franciſcanorum in templo monumentum eiſdem tam materiæ pretio, quàm operis elegantiâ eximium ſubinde à Ferdinando I. jam Cæſare erectum eſt. Ex nobili marmore tota conſtat moles; uti & viginti quatuor ſcuta circa inferiorem ejus ambitum diſpoſita, quibus eleganter inciſa tanti Imperatoris geſta. Mirum his decus addunt per intercolumnia diſtributæ viginti octo æneæ ſtatuæ humanâ ſtaturâ majores, habitúmque, & armaturam juxta cujusvis morem raro artificio repræſentantes, quorum ſyllabus, nomináque ex Lambecio *Germaniæ Auſtriacæ* eſt inſertus. Appenſum monumento ſequens legere eſt Epitaphium:

IMPERATORI CÆSARI MAXIMILIANO PIO, FELICI, AUGUSTO PRINCIPI, TUM PACIS, TUM BELLI ARTIBUS, OMNIUM SUÆ ÆTATIS REGUM LONGE CLARISSIMO: SUB CUJUS FELICI IMPERIO INCLYTA GERMANIA DULCISSIMA ILLIUS PATRIA TAM ARMIS, QUAM LITTERARUM STUDIIS, PLUSQUAM ANTEHAC FLORERE, CAPUTQUE SUPER ALIAS NATIONES EXTOLLERE COEPIT: CUJUS INSIGNIA FACTA TABELLIS INFERIORIBUS, QUAMVIS SUB COMPENDIO, EXPRESSA CONSPICIUNTUR. IMPERATOR CÆSAR FERDINANDUS, PIUS, FELIX, AUGUSTUS AVO SUO PATERNO PERQUAM COLENDO AC BENE MERITO, PIETATIS, ATQUE GRATITUDINIS ERGO POSUIT. NATUS EST XXII. MARTII, ANNO DOMINI MCCCCLIX. OBIIT ANNO DOMINI MDXIX. XII. MENSIS JANUARII.

Vix Neoſtadii Maximilianus ſepulturæ mandatur, jam Vienna inteſtinis tumultibus æſtuari cœpit. Auſtriæ enim Ordines coacto Provinciali Conventu, veteres exoſi Regentes, officio, ac geſto munere privant, novósque ſine Archiducum Fratrum abſentium conſenſu, contra etiam ultimam Maximiliani voluntatem ſubſtituunt. Illi odium Provincialium, ac furorem inſanientis vulgi metuentes Neoſtadium abiêrunt, Gubernio Auſtriæ in duas ſciſſo partes. Duravit ea Viennenſium diſſenſio, ac interregnum in annum uſque Vigeſimum ſecundum, dum adventu in Auſtriam Ferdinandi Hiſpaniarum Infantis, ac Auſtriæ Archiducis res fuêre pacatæ.

Ne tamen Regium Conſilium Neapolim Auſtriæ profugum Viennæ gubernacula deſeruiſſe videretur: ad Univerſitatem dedêre literas, quibus, poſtulabant: *Ut Univerſitas, ſi quos Cives à via juſtitiæ, & veritatis, quantùm ad hoc negotium de Rectoribus Provinciarum, aberrare cognoſcerent, tanquam prudentiores eoſdem ab errore revocarent.* Viſum eſt, perlectis literis, Facultatibus ſingu-

ſingulis, nihil omnino dandum reſponſi; ne Univerſitas adhærendo uni, vel alteri parti notam aliquam, & offenſam incurreret. Verùm mox ſecundæ ab iiſdem ſunt redditæ: quod ubi Provincialibus innotuiſſet, ablegant Sub-Marſchallum, & Joannem Frimer, multis adhortantes: ne ſeſe ulli parti admiſceat Univerſitas, ſed utì promiſit, neutras ſequeretur partes.

Interea Francofordiæ ab Imperii Electoribus in Romanorum Imperatorem Carolus Archidux Auſtriæ, & ampliſſimorum Hiſpaniæ Regnorum Rex (rejecto Franciſco Galliarum Rege, potentiſſimo æmulo; ac recuſante, ùt Spondanus ex Eraſmo docet, ſupremam Imperii dignitatem Friderico Saxone) renuntiatus eſt: cujus inaugurationis Acta Theologica ſic meminêre: *Vigeſimâ octavâ Junii, quæ eſt dies Leonis Papæ, ſereniſſimus Hiſpaniarum, & utriuſque Siciliæ, ac Hieruſalem &c. Rex potentiſſimus, Carolus, Archidux Auſtriæ, Francofordiæ unanimi Electorum conſenſu illius diei horâ nonâ Romanorum Rex proclamatur, propter cujus feſtivam electionem ſplendida feſtivitas Viennæ 6. Julii agitur in bombardis exploſis, inſtitutis proceſſionibus gaudioſis, &, quod notatu dignum extitit, in apice turris S. Stephani ignis vivaciſſimus incenſus viſus eſt, & bombardarum ſonitus auditus, ac omnibus quaſi perpetuus apparuit.*

Redditæ ſunt inter hæc Univerſitati faventes ſanè Româ literæ, è quibus ſpes affulgebat deſideratæ cum Viennenſi Epiſcopo in cauſa teſtamentaria Clericorum concordiæ: verùm is Pontificiâ Bullâ intellectâ non modò Privilegiis Archigymnaſii obluctatur, ſed 24ta Julii affixâ publicis in valvis S. Stephani, & Collegii Ducalis appellatione, Univerſitatem ad Urbem provocavit. Quò cùm Procuratorem miſiſſet Epiſcopus, coacta eſt Unverſitas collatis per Facultates expenſis, & ſuos illac ſubmittere.

Maximiliani obitu factus inſolentior Lutherus, liberiùs in Sacerdotes invehebatur. Tractavit tamen anno hoc cum Carolo Miltitio, Nobili Germano, ac

Pontifici à Cubiculis, qui ſub id tempus Roſam auream Friderico Saxoni à Pontifice honoris causâ ſubmiſſam attulerat: ita ut Lutherus fateretur, ſopiri Religionis negotia potuiſſe, ſi ea dexteritate ſecum Cajetanus egiſſet. Dedit quoque literas ad Pontificem humiles, & modeſtas, quibus ſe, cauſámque ſuam totam ei ſubjecit. Quominùs tamen, ùt convenerat, Confluentiam cum Miltitio accederet, controverſias ibidem coram Archiepiſcopo Trevirenſi compoſituri, inſtantem Lipſiæ Congreſſum, ad quem condixerat cum Eckio, utì ſuperiùs inſinuavimus, prætexebat. Habita itaque ea eſt 27ma Junii coram Georgio Saxoniæ Duce, Friderici Electoris Patruele, Catholicæ fidei ſtudioſiſſimo; Judicibus congreſsûs delectis Theologis Pariſienſibus, & Erfordienſibus; continuata ſunt religionis illa certamina ad 14. Julii, Eckio palmam referente. Poſt quod colloquium ſcripta quædam Lutheri Univerſitas Colonienſis, & Lovanienſis igni comburi juſſit; Pariſienſis verò quatuor & centum propoſitiones ejúſem publico ſcripto condemnavit.

Eodem hoc anno, ùt Acta Univerſitatis habent, * 30ma Martii Conſilium Univerſitatis acceſſit R. P. Theobaldus Ordinis Minorum de obſervantia, petendo ab eodem, ut literas conficeret, quibus ſanctiſſimo Domino, & Sedi Apoſtolicæ commendaretur plurimùm Canonizatio Joannis Capiſtrani, quondam Viennæ, & per Auſtriam, Hungariámque, Germaniam, & Bohemiam indefeſſi animarum zelotis, ac in Belgradenſi obſidione anno 1456. ſtrenui precibus ſuis ad Deum defenſoris, multísq; miraculis clari. * De quo Kranzius illud reliquit: *Joannes in Germaniam deſcendit prædicans magno zelo verbum Dei, in Auſtria, Bavaria, Suevia, Thuringa, & Saxonia, mortuus eſt Villaci in Carinthiæ oppido.* Annuit libenter juſto deſiderio Conſilium, & optimâ formâ promotionales, ùt loquuntur Acta, literæ ad ſummum Pontificem in dicta Canonizationis cauſa exaratæ ſunt.

An.

An. 1520.

MEmorant Acta Universitatis ad annum hunc, mense Junio Claustro - Neoburgum advenisse Principum Caroli, ac Ferdinandi Fratrum, Austriæ Archiducum Legatos, quos inter Casimirus Brandeburgensis Marchio, & Carolus Princeps ab Oetting, eorumdem nomine ab Austriæ Ordinibus, Viennensíque Senatu fidei juramentum excepturos. Eandem, ut jurarent, Facultas quoque Juridica, ac Medica vocatæ sunt. At sententiâ in Universitatis Consilio postulatâ, conclusum; solus ut Rector Magnificus Claustro-Neoburgum ascenderet Legatos Archiducum Universitatis nomine salutaturus.

Insignito subinde Aquisgrani 9no Calendas Novembris Imperii Coronâ Carolo, suam contestata est lætitiam Vienna editis per Urbem non vulgaris gaudii signis; à quibus gliscente adhuc inter Episcopum, & Universitatem lite non semel memoratâ, cùm Academici excluderentur: Universitatis ex Consilio in valvis Collegii Ducalis mandatum est affixum; vi cujus Academici omnes in proximam diem Dominicam convocabantur: ducta est, ùt Acta ajunt, solemnis supplicatio Universitatis ad Scotorum Ecclesiam, ubi inter Missarum solemnia gratiæ Deo Actæ pro collata Romani Imperii Corona Austriaci sanguinis Principi.

Interea terminato Lipsiæ congressu, quòd Lutherus insolesceret indies, Eckius Romam profectus est, exhibuítque coram Pontifici, quæ Germaniæ, ni Lutheri dogmatibus seriò occurratur, imminerent discrimina, Itaque Leo X. re diu, multùmque diliberatâ, Cardinalibus in Consilium adhibitis, doctrinam ejusdem quadraginta, & uno capitibus comprehensam, literis publicis, quæ incipiunt: *Exsurge Domine, & judica Causam tuam*, Calendis Julii ita condemnavit, ut libros quidem chartásque aboleri jusserit, Authorem tamen, & Sectatores ad resipiscentiam invitaret, dato

 ad

ad errorum abjurationem publicè faciendam 60. dierum ſpatio. Redux cum Bulla Pontificis in Germaniam Eckius, ejuſdem exemplum tum ad alias Germaniæ, cùm ad noſtram quoque tranſmiſſit Univerſitatem, ſuis etiam adjectis literis ſequentis tenoris.

Magnifico Domino Rectori, & aliis clariſſimis viris Studium Laudatiſſimum Vienneniſe Regentibus, Dominis ſuis colendiſſimis.

Salutem cum paratis obſequiis.

Poſt diligentem dogmatis Lutherani diſcuſſionem, Rector Magnifice, & Doctiſſimi Viri, Sanctiſſimus Dominus Bullam contra certos errores edidit; & mihi, licèt invito, publicandam in certis partibus injunxit: quod ego ſtrenuè feci nulla veritus pericula, in Eccleſia Miſnienſi, Merſeburgenſi, & Brandenburgenſi; aliis Epiſcopis, Principibus, & Studiis Generalibus partim coram, partim per literas inſinuavi. Functurus ergo officio meo, Veſtris Paternitatibus copiam Bullæ in Urbe impreſſam, Sigillo Prælati, & ſubſcriptione Notarii munitam, tranſmitto; quantùm ex me eſt orans, & obſecrans, ac Summi Pontificis nomine requirens, & præcipiens; ut quatenus fieri poterit, omnes Veſtræ juriſdictioni ſubjectos ſub debito Obedientiæ convocetis, ac eis convocatis Bullam publicetis; mandando eiſdem juxta continentiam Bullæ, ne quiſquam articulos condemnatos, vel legendo, vel diſputando, aut ſcribendo, defendat, laudet, doceat, aut affirmet; ſub pœnis in Bulla contentis, & excluſionis ab Univerſitate: Libros quoque Lutheri, & adhærentium, ſub eiſdem pœnis, mandetis per eos Rectori Univerſitatis præſentari, qui omnes, & ſingulos comburi publicè faciat: & de his, ubi opus fuerit, fideliter teſtimonium perhibere poteritis: niſi eſſent aliqui Doctores Theologi, aut Juris Canonici, qui Zelo veritatis, ac ad excutiendos errores, non ad invertendam veritatem, hujuſmodi libros de Licentia Rectoris, & totius Conſilij, in quo conſcientiam Veſtram oneramus, apud ſe retinerent. In hoc facietis juſ-

ſum

ſum Sedis Apoſtolicæ, rem Deo gratam, Eccleſiæ utilem, & fidelibus ſalutarem. Datum Ingolſtadij 14. Octobris Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Viceſimo.

Veſtræ Magnificentiæ & Dominationibus
Obſequioſus
Joannes Eckius Protonotarius, &
Nuntius Apoſtolicus.

Et eguiſſet ſanè jam tum Vienna præſenti remedio; nam præterquam, quòd paſſim Viennenſium in manibus propudioſi dogmatis chartæ volitarent, nováque doctrina cùm à Poëtis, tum liberioris vitæ hominibus celebraretur: erant jam non pauci ex Nobilitate æquè, ac vulgo, quibus illa & arridebat, & altiùs inhæſit. Lentiori tamen pede primùm in cauſa Lutheri ab Univerſitate eſt proceſſum; perlectis enim Eckij, Pontificiſque literis, ea ferè Facultatum omnium fuit Sententia: *quòd cum tempora*, verba Actorum ſunt, *ſint periculoſiſſima, & ſuſpicionis plena, & nuſquam tuta fides, ad præſens Bullæ Apoſtolicæ ad mandata Eckiana non fiat executio, cum ea tamen proteſtatione; quòd Facultates ab Eccleſia & Maximi Pontificis mandato nequaquam deflectere velint, prout nec debent eidem refragari; dummodo ſufficienter, & legitimè, & cum eâ, qua decet, legalitate Eckius de Mandato, & Authoritate Apoſtolica Univerſitatem informaverit; acceſſerit inſuper mandatum Majeſtatis Cæſareæ, ad quam Univerſitas hoc ſuper negotio literas cenſebat expediendas.*

Maturiori interea rem conſilio Facultas Theologica perpendens, Feriâ 2dâ poſt S. Martini feſtum in eam demum ivit ſententiam: *quòd omnino per omnia, & ſingula Bullæ Apoſtolicæ, vel ejus tranſcripto ſit obediendum: & quod Magnificus Dominus Rector juxta ſcripta Doctoris Eckij, & modum in Bulla Apoſtolica expreſſum ſerioſè, & quantocyus procedat, prædictáque Bulla Reverendiſſimo Epiſcopo Viennenſi communicetur.* Mox inſuper de mediis dandi executioni mandata Pontificis proſpectum:

 ſcili-

ſcilicet : ut D. Doctor Trapp unà cum Facultatis Decano adiret Epiſcopum, & ſequentes proponeret articulos.

Primò : quòd incipiendo hujuſmodi negotium Inquiſitionis Reverendiſſimus Epiſcopus Viennenſis cum Facultate Theologica in finem continuare, nec tepidè, quæ optimo inchoata ſunt principio, omittere velit. Secundô : quòd uniformis inſtructio detur omnibus Prædicatoribus Viennenſibus, & quòd omnes citentur ad Curiam Epiſcopalem ad audiendum tranſcriptum Apoſtolicum. Tertiò : quòd fiat publicè in valvis Eccleſiarum mandati affixio. Quartò : quòd Bibliopolæ, & cæteri venditores hujuſmodi libellorum ſerioſiùs inhibeantur, & mercatores, qui tales libellos huc adduxerint, areſtentur, nec permittantur divendere ad alia loca. Quintò : quòd tranſcriptum afferatur ad imprimendum, ita quòd ad minùs cuilibet Prædicanti ad manus offeri poſſit, & quòd fiat ſummarium extractum in lingua Alemanica ex Bulla, ſic quòd nullus valeat ſe excuſare. Sextò : quòd Domini Doctores interea deliberent pro refutatione errorum potiſſimùm in Bulla Apoſtolica ſignatorum.

Tam Studioſam obſequendi Bullæ Pontificæ voluntatem Facultatis Theologicæ, minùs, quàm par erat, æquo animo tulit cum Conſilio ſuo Rector, qui tunc Univerſitati præerat, Magnificus, *Joannes Wenzlhauſer*, Artium, & Medicinæ Doctor, eâ de cauſâ, quòd Inquiſitio à Facultate Theologica tam properè ſuſcepta in contemptum Rectoris cedat; expectandúmque ſit præciſum à Cæſare mandatum. Decimâ ergo Decembris conceptam proteſtationem à Notario Univerſitatis ſubſcriptam, per Clariſſimum Artium, & Juris Doctorem Andream Harrer publicavit, ac ſubinde Auguſto Carolo V. Wormatiam tranſmiſit; quæ ſic habet :

Nos Joannes Wenzlhauſer, Artium, & Saluberrimæ Medicinæ Doctor, ac Almæ Univerſitatis Studii Viennenſis Rector, nos denique Procuratores, Conſiliarii, & Aſ-

& Assessores dictam Universitatem repræsentantes, nomine, vice, ac de commissione totius Universitatis, & singularum personarum, & membrorum ejusdem, coram vobis Notario publico, & testibus præsentibus infra notata deducimus, & protestamur; Quoniam nuper per quendam Joannem Eckium Theologum, ùt videbatur, certæ literæ ad nos & Universitatem prædictam, negotium Doctoris Martini Lutheri tangentes, missæ fuissent. Nos Rector ante nominatus, ùt debebamus, literas prænominatas ad quatuor Facultates transmisimus; quæ omnes, & singulæ negotium maturè, & digestè deliberantes, singula vota sua juxta Universitatis consuetudinem attulerunt: Nos itaque Rector præfatus visis Facultatum votis, apertè invenimus tres Facultates concordi voto, rem tam arduam causis moventibus suspendendam fore; considerat namque Universitas esse in Germania Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Moguntinensis Ecclesiæ, qui & Primas Germaniæ existit, & Cardinalis est à Latere Pontificis Romani: Similiter Reverendissimum Patrem, & Dominum Archiepiscopum Salisburgensem, pariter à Latere Pontificis summi existentem; tacemus nunc de reliquis Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Principibus, Universitatibus, Comitatibus ubilibet per Germaniam constitutis, ad quos omnes procul dubio hujusmodi transsumpta Bullæ Apostolicæ pervenerunt, qui hucusque non publicârunt, nec opuscula Lutheri igni tradiderunt; præterea Universitas famosissima Studij Parisiensis, quæ nostra mater est, ad cujus instar nostram Universitatem fundatam esse, literæ fundationis apertè docent; quæ denique Parisiensis Universitas per Martinum Lutherum, & Joannem Eckium in disputatione Lipsiensi suarum dissensionum judex electa, usque in præsens Lutherum non damnavit. Et super hæc omnia in præfata Bulla omnes receptatores, detentores, fautores &c. Lutheri quasi damnati videntur; Sicut autem veridica relatione ad nos deductum est, quòd idem Lutherus in Curia Invictissimi, & Sacratissimi Domini, Domini Caroli, Cæsaris potentissimi, Domini & Fundatoris nostri Clementissimi his diebus fuerit, vel adhuc degit;

de cujus Invictissimi Principis consilio sunt quamplures Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, Doctores, & omnifariam experti, ibique nihil dignum morte, aut infamiâ eidem Luthero actum esse: Ne in prædicti Domini, & Principis nostri jacturam agere videamur, Nobis nequaquam licere præcipitanter, ejusdem Principis nostri mente non habitâ, procedere. Et quod idem Joannes Eckius Nuncium se asserit Apostolicum, de cujus, de Notarii quoque, & Prælati, qui Transsumptum transmissum ad nos, ùt asserit, munîerint, legationibus nihil constat. Quoniam itaque Nos Rector præfatus in Consistorio nostro pro pluralitate votorum conclusimus, ob reverentiam Illustrissimi, ac Invictissimi Principis, & Domini Nostri Domini Caroli Romanorum Imperatoris, & Domini Ferdinandi Archiducis Austriæ, Fundatorum, & Dominorum Nostrorum Clementissimorum, ac omnium Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum, ac temporalium Principum totius Germaniæ, ne & ipsi macularentur eàdem Bullâ, ùt asserit, aut fulmen sentiant; ac ob alias causas, & ad evitandos tumultus, clamores, & populi seditiones, quæ per publicationem, executionem nostram, ùt timendum est, contra Clerum insurgere possent, negotium ad tempus fore distinendum; sperantes, si Sedes Apostolica de his nostris motivis rationabilibus pleniùs fuerit informata, nullam indignationem suæ Sanctitatis Nos contracturos. Decanus verò, & Magistri Theologiæ, postposita ordinatione, statutis, privilegiis, & consuetudinibus Universitatis, se & suam Facultatem à Nobis, & Universitate prædicta diviserunt, & declinaverunt, prout in alio processu contra eosdem Theologos forsan emanando pleniùs continebitur. Ne itaque jam dicti Theologi, vel quicumque alteri, nunc, aut in futurum Nobis, & Universitati præfatæ publicè, vel occultè impingere possint, Nos, & Universitatem fuisse, esse, aut fore hæresum, errorum, aut perversorum dogmatum receptores, defensores, vel promotores; Nostris, & totius Universitatis nostræ, ac omnium, & singularum personarum nobis, & prædictæ Universitati subditarum, & obedientium, nominibus melioribus, viâ, jure, & formâ,

qui-

quibus possumus, aut debemus, protestamur: nunquam fuisse, & esse, vel fore de mente, & intentione nostra, vel alicujus nostri; velle consentire, defendere, recipere, aut promovere quoscumque errores, hæreses, aut perversa dogmata, quæ contra fidem Catholicam, sanctam Matrem Ecclesiam, vel ejusdem fidei articulos, aut Evangelium militarent; sed semper contra hæreticos, perversos Doctores, & errantes summis viribus laborare, fidem Christianam defendere, usque ad sanguinis, si oportuerit, effusionem. Rogamus itaque Nos Rector, Decani, Procuratores, Consiliarii, & Assessores antedicti, & nominibus, quibus supra, per Vos Notarium Publicum super hac nostra protestatione confici in signum veræ, & integræ fidei nostræ, unum vel plura, quotquot fuerint necessaria, instrumenta publica.

Quibus nomen suum subscripsit *Joannes Favorenus*, aliàs *Gunsthoffer*, *Clericus Pataviensis Diecæsis sacra Imperiali Authoritate Notarius.* Acta sunt anno à Nativitate Domini MDXX. Indictione octava, die verò Lunæ, quæ erat 10. Mensis Decembris.

Adductæ Rectoris Magnifici protestationi Congregata in aula Episcopali Facultas Theologica coram Notario appellationem opposuit: lectum item Nicolai V. datum eidem Facultati inquirendi in Hæreticos Privilegium; denique executio Bullæ Pontificiæ demandata. Verùm quòd rursus tum Universitatis Consilium, cùm, ùt Acta ajunt, Regentum Capitaneus (qui cum non paucis jam Lutherum sequebatur) Comes *Leonardus de Zeg* sese interponerent; Facultas Theologica piis conatibus suis destitit; coram Notario tamen, & testibus protestata: *Quòd si ipsa ad aliquid adstringeretur per Dominos Regentes, nunc protestaretur, si metu pœnarum, & propter scandalum pusillorum, condescendere cogatur.*

An.

An. 1521.

QUarto Januarii initium Wormatienſibus Comitiis, quæ & Belli Turcici, & extirpandæ graſſantis undique Lutheri doctrinæ causâ Carolus Cæſar ſuperiori anno indixerat, datum eſt. Aderant iiſdem ſeu officiorum apud Auguſtum, ſeu negotiorum Univerſitatis nomine, Viri ex Academia noſtra clariſſimi, Doctor Gabriel Vogt, Doctor Wolffgangus Prandtner, Doctor Maximilianus Tranſylvanus, Doctor Maximilianus de Bergiis, Doctor Martinus Sibenburger, Doctor Gregorius Gerber, aliíque non pauci; à quibus cum Cæſar de lite in *re teſtamentaria* cum Viennenſi Epiſcopo edoctus eſſet, indigniùs ferebat, ſe Univerſitatis Principe, ac Protectore præterito, cauſæ diſcuſſionem Romanam ad Curiam eſſe devolutam: ut ergo ad ſuum tribunal cauſa rediret, & ad Univerſitatem, & Epiſcopum revocatorias dedit; quas legere eſt integras in Actis Artiſt. Acquieverat quidem Imperio Cæſaris Univerſitas, Controverſia tamen non niſi anno 1537. ſæpius interea Romanum æquè, ac Ferdinandi ArchiDucis ad tribunal revocata, compoſita eſt.

Vocatus ad ea quoque Comitia Lutherus fuit datâ publicâ ſecuritatis fide: cui, cùm dogmata perverſa, libríque, in quibus eadem continebantur, objicerent, & num ea, ceu ſua, agnoſceret? interrogaretur; ſua eſſe, nec revocare quidquam eorum ſe velle, dixit; niſi ex teſtimoniis Scripturarum fuiſſet convictus: quæ cùm obſtinatè aſſereret, pluráque turbulenta pararet; Cæſar, ut fide data ſeſe liberaret, Lutherum reduci paſſus, monitum tamen: à turbis, & concionibus ut abſtineret; quæ cum ille arroganter ſperneret, imò indies protectione Friderici Saxonis nixus inſoleſceret; ſub menſem Majum edicto Cæſar Lutherum apertè proſcripſit, ac authoritate Cæſarea, conſenſúque Ordinum, Decretum condemnatorium, à Leone Pontifice in eum Nonis Januariis hoc eodem anno editum, con-

confirmat, atque elapso salvi conductûs termino eundem capi, & in custodia detineri concedit; jubétque scripta ejus comburi; legi denique, teneri, ac imprimi gravissimarum pœnarũ interminatione interdicit. Publicum jam antea die 19. Aprilis Carolus Documentum ad præsentes Imperii Ordines exaratum promulgavit, in quo se & à progenitoribus Romano-Catholicæ fidei ortum, eandem quoque se vitâ, & sanguine propugnaturum, nec quieturum se antea, quàm perniciosa Lutheri dogmata abolerentur, profitetur.

Aderat quoque huic Imperij Conventui Ferdinandus, cui Cæsar Frater Regnorum, & Imperij amplitudinis causâ suas in Imperio vices, & ex ultima Maximilani Avi voluntate Austriam cum hæreditariis Provinciis cesserat. Qui relictâ Wormatiâ non exiguo stipatus comitatu, anno jam in Autumnum vergente Austriam primùm (cujus pars inferior cum Viennâ Provincialium motibus turbata fuerat) petiit: inde Græcium Styrorum abiit: ita enim Chronicon Universitatis ad diem septimam Septembris anni hujus meminit: *Græcium Styrorum ad Ferdinandum Archiducem Austriæ, qui nuper eo advenerat, missus est Clarissimus Vir Magister Martinus Edlinger, qui cum Domino Joanne Salio Medicinæ Doctore, ac Principis Archiatro causam inter Episcopum Viennensem, & Academiam eidem commendaret.*

Interea dum Wormatiæ Religionis causa agitatur, redditæ sunt Cæsari literæ Regentum Austriæ, & Universitatis, quibus mens ejusdem circa Eckij Epistolam, & Bullam Pontificiam pertentabatur: acerbiori animo tulit Religionis avitæ Studiosissimus Cæsar, easdem non quantocyus executioni datas; quare sequentes ad Academiam Viennensem expedivit:

Caro-

tarii Universitatis comportarentur ; traditæ quoque tabulæ Cæsareæ cum Pontificiis latino æquè, ac Alemanico idiomate typis evulgandæ.

Inclinante jam anno, 4tâ nempe Nonas Decembris, Leo Pontifex lento veneno extinctus est. Cui sub principium anni ineuntis suffectus est in supremum Antistitem Adrianus, natione Batavus, vir insigni, & doctrinâ, & morum integritate: Præceptor quondam Caroli Cæsaris. Electus est mense Januario Romæ à Cardinalibus in Hispaniis absens, retento Adriani Sexti nomine.

An. 1522.

NOvum Sidus An. hoc non Austriæ modò, sed & Universitati exortum est; dum scilicèt Ferdinandum Archiducem Austria Inferior primùm & conspexit, & suis in terris recepit. Ex Imperio siquidem, quò superiori anno ex Styria rediverat, in superiorem Austriam reversus, Lincij magno Procerum plausu, ac bonorum omnium lætitiâ est salutatus. Præstolata ibidem Ferdinandum Sponsum Anna Hungariæ, Bohemiæque Regis Uladislai Filia, cum qua Regio apparatu nuptiarum solemnia sunt peracta. In inferiorem deinde descendit Austriam multo quorundam Provincialium, Viennensiúmque Civium metu, ob factionum conscientiam; quos & paulò post pœna est consecuta: juverit rem totam ex Actis Theologicis referre:

In Æstate Dominus Princeps noster Ferdinandus venit altera vice in Austriam celebratis Lincii nuptiis, & ad Novam Civitatem, Viennam prætervectus, divertit; ad quam Civitatem Novam vocavit, & citavit per Edictum publicum valvis Ecclesiæ S. Stephani die 12 Junii anni præsentis, 1522. affixum per Joannem Sieß; quatenus Provinciales omnes Austriæ, ac Antiqui Regentes Cæsaris Maximiliani die 8va Julii coram D. Principe in Nova Civitate ad præstandam audientiam ambabus partibus, videlicet Antiquis Regentibus, & eo-

& eorum adhærentibus ex una; & Provincialibus Austriæ infra Onasum ex parte altera, adessent. Ubi vocati sunt etiam Doctores Legum tum ex nostra, tum etiam aliis Universitatibus. Itaque partibus his auditis, ea sententia pro Dominis Antiquis Regentibus contra Dominos Provinciales lata est: quod Provinciales malè egissent; reservaret tamen Princeps sibi pœnam contra eos, qui hujus negotii inceptores fuerunt principales. Et ita die 13tiâ Julii lectâ sententiâ dictâ publicè, Princeps misit capere Dominum Joannem de Puechaim, & Michaëlem de Eyzing, Barones Austriæ, qui demum vigiliâ Laurentii publicè decollati sunt. Ac deinde capere misit Cives Viennenses impertinentiores; videlicet Doctorem Juris Martinum Sübenburger Judicem civium, Joannem Ründ, Joannem Schwarz Monetarium, Stephanum Stachindweit, Fridericum Inersch, Martinum Schlosdiner, Sigefridum Steiner, Wolffgangum Schmidinger, Casparum Reitter, & Michaëlem Lungl. Ex his Civibus Viennensibus Crastino S. Laurentii sex primi sunt decollati publicè in Nova Civitate; ultimi verò quatuor Cives ex his sunt reservati in captivitate longiùs.

Ab his justitiæ exercitiis tametsi Ferdinandus imperium in Austria inchoaret; feliciora tamen Universitas sibi promittebat: nec spe falsa est: huic enim uni Principi debet, ea tempestate se conservatã. Erat enim, ùt Acta Theologica meminêre, calamitosa jam Academiæ conditio; cùm sæviente epidemica lue, pestilentior longè Lutheri doctrina alumnos à scholis adeundis arceret: sua namque è Pathmo (sic latibulum illud suum *Alstadium Saxonum* vocitabat) redux Lutherus, alias inter execrandas chartas libellum in lucem protulit, quo Germanicam Nobilitatem adhortatus est: *Philosophiam, ac Theologiam Scholasticam, ceu animæ mortem; Aristotelis Physica, Metaphysica, Ethica prorsus aboleri debere, declamabat.* Quem imitati præclari Discipuli Carolstadius, & Melanchton adolescentibus persuadere adnituntur: *Non esse operam literis dandam, Platonem, Aristotelem, Ciceronem, & id genus alios non nisi*

mera

mera scripsisse commenta, & imposturas, librósque eorum Vulcano consecrandos; uni Sacrorum Bibliorum lectioni vacandum; neque fas esse homini Christiano literis deditam agere vitam; faciendum omnibus, quòd in Genesi dictum: In sudore vultûs tui vesceris pane tuo. Quibus commoti plerique adolescentum combustis Artium Liberalium libris, mechanicis officiis sese addixerunt.

Et applicuisset profectò religiosissimus Princeps ilicet manum extirpandis non Viennæ tantùm, sed per omnes suas Provincias Lutheri dogmatis, ni altiores jam egissent radices, nisíque Norimbergam ad Comitia evocatus esset. Facultati ergo Theologicæ præprimis dat in mandatis, ne malum serperet, sedulò adcuraret. Nec illa muneri suo deerat; ea enim tempestate ad illam *Doctor Paulus Speratus*, nuper Viennam aliunde adventans, quòd in Cathedrali Ecclesia D. Stephani è Lutheri doctrinâ prædicâsset, delatus erat; re coram testibus, & Notario examinatâ, negotióq; cum Officiali Viennensi communicato, sub proscriptionis pœna ad sese purgandum citatus est, serióque interdictum, ne ullo in loco ad concionem diceret; injunctum denique, à Religiosis æquè, ac cæteris Sacerdotibus Sperati doctrina è Cathedris refelleretur. At cùm ad ternam reus citationem non compareret, Viennâ occultè dilapsus, in eum excommunicationis lata est sententia publicis in valvis affixa. Submiserat subinde exul Speratus Universitati propugnatricem suorum dogmatum epistolam; quæ jussu Facultatis Theologicæ, confecto desuper commentariolo per egregium Virum Joannem Camertem Theologiæ Doctorem Ordinis Minorum S. Francisci strenuè est refutata.

Finem vitæ anno hoc sexto Calendas Maii Reverendissimus Viennæ Episcopus, Georgius à Sclavonia imposuit: ut proinde rursum minùs rectè annum sequentem obitûs ejusdem statuisse nonnulli videantur; cùm jam anni insequentis septimâ Februarii in literis à Ferdinando I. datis Petrus Bononius Viennensis Episcopa-

ſcopatûs Adminiſtrator nominetur, idque ſatis apertè confirmet Epitaphium, quod etiamnum in æde D. Stephani penes altare Divi Briccii extat, ùt ſequitur:

GEORGIUS A SLATKONIA NATIONE CARNIOLUS LABACENSIS CIVITATIS, HUJUS TEMPLI PONTIFEX, ET PETINENSIS ADMINISTRATOR. DIVI MAXIMILIANI CÆSARIS AUGUSTISSIMI A CONSILIO, ARCHIMUSICUSQUE. VIR PIENTISSIMUS, MODESTISSIMUS INTEGERRIMUS, QUI IN ORNANDO EPISCOPATU VIENNENSI OMNES ANTECESSORES SUOS FACILE SUPERAVIT. VIVUS SIBI HOC MONUMENTUM FIERI CURAVIT, ANNO SALUTIS MDXXII. SEXTO CALENDAS MAII. VIXIT ANNIS LXVI. MENSE UNO, DIEBUS QUINQUE.

Accerſitus eſt Georgii in locum ad Viennenſes Infulas Reverendiſſimus Dominus Petrus Bononius, Tergeſtinus Antiſtes, & Supremus aulæ Ferdinandi Cancellarius: qui eaſdem, quemadmodum ex Actis Univerſitatis colligere eſt, præcisè Adminiſtratoris nomine ad anni uſque ſequentis Menſem circiter Auguſtum ſumma cum laude geſtavit; ùt in Actis laudatis lego: *Cùm Univerſitatis nomine anno 1523. decima Julii plura de controverſia Univerſitatis apud Reverendiſſimum Petrum Bononium tractarentur, is reſpondit, ſe jam non poſſe cum Univerſitate contendere, cùm eſſet tantùm Adminiſtrator, nec haberet confirmationem à Sede Apoſtolica, ſed ageret Adminiſtratorem Principis.*

Semeſtri anni hujus altero in Rectorem Magnificum Joannes Salius ex Styria, Medicinæ Doctor, electus eſt; ſed is, quòd tanquam Archiater Sereniſſimam Ferdinandi Conjugem ſequi cogeretur, electioni ſuæ interceſſit, aut ſibi alium abſentiæ ſuæ tempore ſubſtitui poſtulavit: data ei ab Univerſitatis Conſilio facultas: ut Vice-Rectorem denominaret; nominavit is primùm Joannem Heim Medicinæ Doctorem; at ille certis de cauſis munus recuſavit; Joannem deinde

Pilhamer, quem Consilium Academicum respuit: tandem Magister Martinus Edlinger Artium Magister, & Sacræ Theologiæ Licentiatus substitutus est.

An. 1523.

IN Comitiis Norimbergensibus, quibus Caroli Cæsaris per Imperium Locumtenens intererat Ferdinandus, de bello rursus adversùs Turcam (à quo non pauca Germaniæ, captâ Superiori anno Rhodo, ac anno priùs uno Belgradò, timenda erant) suscipiendo, déque componendo Religionis dissidiò, tractabatur; sed exiguo utramque in partem fructu. Edoctus ibidem Austriæ Archidux Universitatis Protector, à Rectore Magnifico Joanne Salio prolabentis Academiæ; Regnorum inter, Ecclesiæque curas quantocyus ejus conservationi, incrementóque procurando mentem adjecit; datis ad designatos ab se Commissarios literis; quibus perspicerent, mandat, quæ ad ejus facerent emolumentum, quâve in parte eam censerent restaurandam. Alias item ad Austriæ Regentes eâdem in causâ addidit. Utriusque tabulæ Actis Philosophicis insertæ exstant; nominatíque iis in literis sunt Commissarii: Præpositus Claustro-Neoburgensis, Dominus Leonardus ab Harrach, Dominus Sigismundus ab Herberstein, Dominus Felicianus à Bertschach, Dominus Wilhelmus à Zelting, & Doctor Udalricus Crabath.

Hæc commissio, ubi Concilio Universitatis exhibita, cúmque Facultatibus communicata; ferè omnibus visum, ei obtemperandum; difficiliorem tamen sese Universitas exhibuit in contribuendis pecuniariis oneribus ad bellum Turcicum, quæ Ferdinandus etiam ab Ecclesiasticis exigenda impetraverat; multa hac in re cum delegatis pecuniæ Collectoribus, Præposito Claustro-Neoburgensi, & Scotorum Abbate pertractata: cùm demum anno insequenti Universitatis nomine Norimbergam ad Episcopum Tridentinum, cui supremum sacræ collectionis munus per Germaniam imposi-

positum, Magister Martinus Edlinger profectus est, qui inde rediens, id unum se à Principe, plurimùm operæ ad hoc Clarissimo, ac Reverendo viro Joanne Faber Universitatis Viennensis Doctore conferente, impetrâsse retulit: *Quòd Clerus Steuram, scilicet tertiam partem fructuum, non ad semel exsolvere teneatur, sed anno hoc unam; secundo alteram; tertio tertiam partem, cum relaxatione quoque summæ, quam in arbitrio suorum Consiliariorum, & Episcopi Tridentini Princeps reliquisset.*

Priusquam illa de exactionibus tractantur, mense Majo Universitas de exhibendis Statutis suis, Privilegiis, & Consuetudinibus, ipsis in originalibus tabulis; Facultates verò, sua ut singulæ conciperent gravamina, jussu Principis admonentur; & curarent unà, ut authographæ Fundationis literæ ad Austriæ Regentes Neostadium perferrentur: Qua de re non levis Universitatis membra disceptatio tenuit, originarias Fundationis, Privilegiorúmque tabulas, aliorum concredere oculis, manibúsque, an expediret? Deportatæ tamen à Magnifico Dño Vice-Rectore sunt; cùm antea, quo numero, quóve de argumento missæ essent, ab jurato Universitatis Notario in scripta referretur.

Discussis multa consideratione, & tabulis, & Facultatum gravaminibus, id tandem à Regentibus pronunciatum: collapsam in multis Universitatem, & pluribus medicinâ, & reformatione indigam videri; ageret igitur redux Vice-Rector; ut novæ instaurationis forma, & articuli, unanimi Consilio ab Universitate, conderentur, conditíque ad Regentes rursùm mitterentur. Fecit ille, ùt imperatum, conscriptósque reformationis articulos cùm singulis communicavit Facultatibus, demerent, adderéntve, quæ illis videbuntur. Acerbiori hæc à Facultatibus animo accepta, ac ferè à singulis responsum: tunc optimè reformatum iri Universitatem, si vetera Statuta, Privilegia, & Consuetudines confirmarentur; si adstricti fuerint singuli ad accuratam eorundem observantiam,

& stipendia Lectoribus augerentur. Hæc ubi ad Regentes perlata sunt, additúmq; esset: quòd si demum reformandam censerent Academiam, liceret ùt minimùm Facultatibus singulis, qui sua è re forent, articulos concipere. Ad quod impetratum id est responsi: daturos Regentes operam, ut Serenissimum Principem ad postulatorum ratihabitionem inclinarent.

Hæc inter domestica negotia, anno hoc Eximius, ac Clarissimus vir Joannes Faber, Artium, & Theologiæ Doctor, egregium, ac fundatum, ùt ait Cochlæus, in lucem dedit opusculum, in quo adversùs Lutherum authoritatem Pontificis, Sacramenta novæ legis, Clericorum cælibatum, ac Ecclesiæ Cærimonias ex Scriptura, & utriusque Ecclesiæ Patribus solidissimè propugnat: recussum est mox Lipsiæ, ac Coloniæ; ubi eidem titulus præfixus; *Maleus in Hæresim Lutheranam*; cui Lutherus præter scomata ferè reposuit nihil.

Cœpta etiam anno hoc primùm in Academia Viennensi lectio Gram̄aticæ Græcæ, ac constitutum: neminem ad Baccalaureatûs in artibus gradum promovendum, nisi Studio Græco quoque operam navâsset.

Non diu ab obitu Petri Bononij vacavit Ecclesia Viennensis; nam paucos post menses eidem præfectus Joannes à Revellis, Cannonicus ad S. Stephanum, ac Ferdinando Archiduci ab eleemosynis, & Confessionibus. Eodem enim anno hoc, ac mense non nisi uno, alteróve à morte Bononij Episcopum Viennensem Joannem esse denominatum, vel inde constat, quòd mense Julio anni hujus Petrum Bononium adhuc vixisse Acta Universitatis testentur; Joannem autem à Revellis jam mense Novemb. anni itidem præsentis fuisse Antistitem, datæ ejusdem ad Universitatem literæ satis declarant. Præfuit annis ferè 8. nimirum usque ad annum 1531. quo ad mercedem in cœlum est evocatus.

Vix annuo Ecclesiæ regimine vitam clausit, ùt Spondanus docet, 18. Calend. Oct. Adrianus Pontifex, dum sanctissimis conservandæ in Germania Religionis

gionis Catholicæ, diſſolutóſque Cleri, ac Curiæ Romanæ mores, in quos virus omne evomebant Lutheri Sectatores, reformandi cogitationibus æſtuaret. Succeſſit in Petri Cathedram poſt nonnullum Cardinalium diſſidium 13. Calend. Decemb. Julius Mediceus, Clemens VII. dictus.

An. 1524.

Quæ hactenus religioſa adhuc ſub veſte ſpargebat dogmata, eadem anno demum iſto, indies in pejora ruens, abjecto palàm cucullo propugnare cœpit Lutherus. Nec quidquam aliud in Comitiis Norimbergenſibus pro Religione confectum, quàm agendum: ut Pontifex in Germania liberum, & generale Concilium indiceret, cujus authoritate Religionis controverſiæ definirentur; interea novum Spiræ Conventum ad Feſtum S. Martini habendum, in quo maturè diſcuteretur, qua ratione quivis interim ſe haberet, dum res per Concilium deciderentur; à viris doctis Lutheri, aliorúmque Novatorum libri examinarentur &c. Ita ſoluto Norimbergenſi Conventu ſtudioſi Luthero Ordines Spiram; Ferdinandus Archidux cum Legato Apoſtolico, Archiepiſcopo Salisburgenſi, Ducibus Bavariæ Wilhelmo, & Ludovico, nec non aliquot Epiſcoporum Oratoribus Ratisbonam diſceſsêre: habito hìc particulari colloquio initum fœdus, quo Lutheranis conjunctim obviarent; multa quoque, eáque ſaluberrima pro avitâ tuendâ Religione decreta, ac quæ in futuris Comitiis Spirenſibus pro re Catholica facerent, diſcuſſa.

Interea Ferdinandus Archidux Viennam cum mandatis, & literis ad Univerſitatem Virum Reverendum ac Præſtantem Doctorem Joannem Faber præmiſerat: quam mox ubi attigit, 29. Julij Rectorem Magnificum, ac nonnullos Deputatos in domum Kirchhofferianam in foro Graben ſitam, advocat, ac mandato Principis exponit: quanto is dolore afficeretur,

 quòd

quòd Viennæ, ſuíſque in Provinciis Religio, moréſque aviti emorerentur; adhortari ſe itaque Univerſitatem: nonnullos deligerent Doctores, qui errores Lutheri ex latinis, & vulgaribus chartis exſcriberent, Principi ituro ad Conventum Spirenſem tranſmittendos; commendatam item ſibi Univerſitas fidem Catholicam haberet, neque à veſtigiis antiquorum Patrum deflecteret; tum demum Archiducis Epiſtolam ſequentis formæ extradidit.

Ferdinandus Dei gratiâ Princeps, & Infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, & Imperialis Locumtenens Generalis.

Honorabiles, Docti, Devoti, ſincerè nobis dilecti. Quoniam pro reparanda hujus noſtræ Nationis tranquillitate, & animorum ſalute, quæ malorum audaciâ indies creſcente magìs, atque magis turbatur, impeditúrque, univerſi Ordines Sacri Imperij in proxima Dieta ad diem D. Martini indicta Spiræ, opportuna media tentabunt, ſicut ex incluſo articulorum in vernaculo conſcripto latiùs cognoveritis; nobis autem incumbat, ut vos, ſic admonente articuli articulo, enixè requiramus, ut nova quæque dogmata, in dubium, & diſputationem revocata in libris recèns editis per aliquot noſtros imprimis Theologicarum rerum eximiè peritos in compendium trahantur: itaque cùm nos pro ea pietate, quam DEO, & ſuæ Fidei ſanctæ debemus, non ſolùm Dominia noſtra pro virili in ea, quam à Patribus accepimus, Sanctiſſima Religione ſervare, ſed etiam contra ipſos nova molientes tam Apoſtolica, quàm Imperialia decreta exequi demandaverimus: ne in hac parte, quod comuni ſtatuum ſuffragio impoſitum eſt, officio noſtro deeſſe videamur: idcirco vos & plurimùm hortamur, & ſtudioſius requirimus, ut pro tam neceſſaria cauſa, Deo Omnipotenti gratiſſima futura, ad præfatum Conventum, ſingula, quæ ad rem faciunt, ſecundùm præſcriptum in articulo modum dige-

digesta, & in literas relata, ad nos mitti curetis; daturi indubiè operam, ut quàm maximè luceat vestra quoque Pietas in Religionem, cui favere, studeréque debet omnis lingua, industria, ingenium, atque labor, quem omnium bonorum Retributor DEUS, immortali præmio dignabitur, Nos verò sua laude primùm, tum grata vicissitudine, dum occasio quoque dabitur, prosequemur, & compensabimus. Datum Ratisbonæ die IV. Mensis Julij Anno Domini M. D. XXIV.

Ferdinandus

Hæ & pietate & Religione avita plenissimæ Principis Optimi & Catholicissimi literæ ubi Rectori Magnifico unà cum vernaculis articulis, qui in libro Actorum Facultatis Artisticæ ex integro descripti habentur, quósque brevitatis causâ præterire cogimur, consignatæ fuerunt, eas mox ad singulas transmisit Facultates, earundem desuper consilia, & sententias postulando; quasnam illæ tulerint, ex Actis Universitatis operæ pretium fuerit intelligere.

Facultas itaque Artium sequenti forma conclusit: *Quoniam peritissimorum Theologorum res agitur, ut ipsa Serenissimi, & Clementissimi Principis nostri Commissio apertè commonstrat, ipsam nihil posse concludere; quoniam ante triennium publico Theologorum edicto Magistri de Facultate Artium prohibiti fuère, ne scripta Lutherana legerent, intermissa sunt, neque lecta. Sed si Clarissimis Dnis Theologiæ Doctoribus aliqui Magistri de Facultate Artium idonei viderentur, eos nominare, & vocare possunt, qui nomine Facultatis laborem subire volunt, & debent.*

Facultas Medica: *Super Commissione Serenissimi Principis, & Dni Dni nostri Clementissimi deliberavimus: cùm nemo debeat mittere falcem in messem alienam, inhærendum esse Commissioni ejusdem Sacratissimi Principis; cum qua se in hoc negotio Facultas remittit ad Theologos istarum rerum eximiè peritos, atque Pontificia authoritate Hære-*

ſeos Inquiſitores, quibus tam ex officio, quàm profeſſione incumbit, hoc tractare; Medici ſua habent, quæ tractent.

Facultas Juridica: *In cauſa Lutheri libellorum examinandorum, conſuluit Facultas Juridica, quòd de qualibet Facultate tres viri idonei eligantur, puta de Facultate Theologica tres Presbyteri, ſimiliter de Facultate Artium tres Presbyteri, de Facultate verò Juridica tres Laici; ſimiliter de Facultate Medica tres Laici; deinde quòd ſic Deputati poſſint ad mandatum Sereniſſimi Principis ad ſe accerſere quoſcunque alios viros doctos, cum eiſdem conſulendo, atque dictam cauſam tractando.*

Facultas Theologica: *Imprimis Facultas Theologica omni, qua decet reverentia, literas, & commiſſionem Principis Sereniſſimi acceptat; congratulatur item plurimùm ſuæ Serenitati, eò, quòd vigore Catholici Principis pro exterminio Lutheranorum errorum, quibus vita, & mores hominum infecti ſunt, facto, & opere declarare conatur. Secundò. Aſſerit Facultas, ſe jam dudum aliquid remedii, ne hujuſmodi morbus excreviſſet, in medium attuliſſe, ſi non fuiſſet affecta extrinſecis impedimentis; ad deſiderium tamen Principis pro laude DEI, & Chriſti fidelium unione, quantùm ei poſſibile fuerit, contra errores aliquid concipere, in mediúmque deducere conabitur. Tertiò. Expectat Facultas, piáque affectione hortatur alias tres Facultates, ut per eaſdem, ſicut ab eiſdem fidei, morum, ac bene vivendi honeſtas exigit, in laudem DEI, ac Gymnaſii noſtri augmentum, juxta deſiderium Principis, aliquid congeratur. Quartò. Placet Facultati, ut perſonæ ab omnibus Facultatibus deputentur, quæ ſingulis Facultatibus modum ſcribendi aſſignent pro requiſitis exemplaribus. Quintò. Ut congeſta per Facultatum deputatos Rectori Magnifico, in præſentia quatuor Decanorum, & duorum Seniorum cujusque Facultatis ad redigendum illa in debitum ordinem præſententur, antequam Principi transmittantur: & quod Facultas una in ejuſmodi annotationibus faciendis alteram famâ, ſeu alia ſiniſtra machinatione non mordeat, ſeu laceſſat; ſed quòd omnia*

omnia fiant animo sincero, & pace communi, tum Universitatis, tum fidelium Christi.

Et sanè nulli pepercit operæ Facultas Theologica in perquirendis, discutiendísque Lutheri dogmatibus, quæ tenenda, quæve reprobanda: quò minùs tamen congesti per eam articuli ad Archiducem transmitterentur, id causæ intercessit, quòd indicta Spiræ Comitia fuerint omissa; nam, ùt Surius habet, ubi de Actis Norimbergensibus Pontifex esset edoctus, Carolum Cæsarem in Hispaniis tum absentem monuit; ne majori cum periculo Spirensem Conventum celebrari admittat, Religionísque definitionem Sedi Apostolicæ reservaret. Præstitit id Cæsar 15tâ Julij Burgis in Castella datis literis, quibus & Comitia Spirensia inhibuit, & Norimbergense Decretum penitùs rescidit: seriò mandans: ne quid sine Sedis Apostolicæ authoritate, suóque consensu de rebus ad Fidem pertinentibus statueretur, sed omnino Leonis Decretum, suúmque Edictum Wormatiense executioni darent.

Quoniam itaque dissolvebatur Spirensis Conventus, Archidux Legato Sedis Apostolicæ, ac Episcopo Viennensi Joanne de Revellis comitatus Ratisbonâ in Austriam (de quibus omni solennitate excipiendis Universitas præmonita fuit) contendit. Nil antiquiùs mente gerens, quàm quæ pro re Catholica facerent. Viennam igitur ubi appulerat, ut Acta Theologica loquuntur; *Cùm videret pessimam sectam, Lutheranam nempe hæresim, nedum pullulare, sed de die in diem magìs, ac magìs in omnibus locis Archiducatûs Austriæ succrescere, seriosè commisit Doctoribus Facultatis Theologicæ, tanquam hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, quatenus Reverendissimo Præsuli Viennensi Joanni de Revellis assisterent, atque negotium inquisitionis contra certas personas per suam Majestatem carceribus mancipatas peragerent; quare infra nominati Doctores nedum vigore privilegiorum Facultatis, sed &*

ex

ex Commissione Principis laboriosè, & magnâ cum diligentiâ singulis actibus à principio usque in finem interfuêre, atque debitum officii, ac commissionis persecerunt.

Eorum autem, in quos inquisitio haberetur, præcipuus erat *Casparus Tauber Civis Viennensis*, qui in eo potissimùm delirabat, *primò* (ùt acta Inquisitionum Episcopatus Viennensis habent) *quòd crederet, ac teneret, post consecrationem factam non esse in altari, verum corpus, & sanguinem Christi in Eucharistia; cùm Christus à Patre exiverit tanquam spiritus; quare etiam corporaliter hìc non adsit.* *2dò, benedictiones in Ecclesia usitatas, & luminum accensionem damnavit.* *3tiò, purgatorium negavit.* *4tò, dixit, se non minùs esse Sacerdotem, quàm eos, qui ab Episcopo consecrati sunt.* *5tò, Confessionem aliam peccatorum non esse necessariam, quàm quâ frater in fratrem se peccâsse fatetur.* *6tò, negavit intercessionem Mariæ, & Sanctorum.* *7mò, credidit, claves Ecclesiæ communes esse omnibus, tam viris, quàm fœminis.* Adactus quidem erat per Inquisitionem, ut revocationem errorum suorum faceret, præstito juramento, & dato syngrapho, ac imprecatione pœnarum hæreticis debitarum, si ad veterem doctrinam rediret, spargerétve in vulgus, aut divenderet libellos hæresi Lutherana infectos. At rediit mox Sus ad volutabrum, non modò veteres tenens errores, sed libros hæreticos & retinuit, & in alios dispersit; hinc pœnâ juris, nempe igne, mense Septembris absumptus est.

Alii duo, in quos cum Taubero facta Inquisitio, fuêre *Jacobus Peregrinus* Pataviensis Diœcesis in Hospitali Cooperator, & *Joannes Voysler* Octernarius; qui, tametsi Lutheranam hæresim confessi, ac convicti, quòd tamen & revocarent errores, & emendationem jurarent, salubri injuncta pœnitentia dimissi sunt. Superfuisset & quartus *Joannes Ekenberger*, Prædicans Dominorum de Regimine in Castro Principis; verùm, ùt Acta Theologica ajunt, *ruffus ille, & infidelis, jam ante adventum Principis Serenissimi Vienna se subduxerat.*

Ade-

Aderat inquisitioni huic præsens ipse Reverendissimus Dominus Vienensis Episcopus; Officium verò judicis ejus locò explevit Dominus Ulricus Kauffman, Doctor Juris, & Canonicus Viennensis. Consedêre imprimis solertissimus Dominus Theologiæ Doctor Joannes Faber Consiliarius Principis: Dominus Doctor Michaël Ceremoniarius Reverendissimi Domini Cardinalis Laurentij de Campegio Legati Apostolici de Latere: Decanus Facultatis Theologiæ Magister Wolffgangus Kraveker; Prior Fratrum Carmelitarum Doctor Theologiæ: Joannes Camers Ord: Minorum: Dominus Valentinus Kräler Theologiæ Doctor: Dominus Christophorus Külber Theologiæ Doctor: Dominus Joannes Klein Theologiæ Doctor Ord: Fratrum Augustinensium Eremitarum: Dominus Decanus Ecclesiæ D. Stephani, & Doctor Petrus Cancellarius Episcopi Viennensis.

Dum hæc pro extirpandis erroribus præclarè aguntur, penè jam emortuam litem Anno iterum isto resuscitavit Universitatis Cancellarius Paulus de Oberstein: qua sibi vel præ Rectore Magnifico locum deberi contendebat. Hâc ille causâ, etsi jam An. 1519. Facultatum omnium judicio cecidisset, novâ tamen rerum occasione, quòd nempe Nuncio Apostolico Cardinali Campegio familiariter uteretur, & in vota suaproniorem non nescieret, nihil omittendum sibi ratus, veterem crambem, & causam recoxit, citato ad Nuncium Rectore Magnifico.

Res Facultatibus indigna omnibus visa, atque ad Austriæ Regentes ut recurreretur, conclusum; auditis igitur, verba Actorum Facult. Artist. sunt, ultimâ Octob: partibus, sententia à vice gerente Domino Generoso de Dietrichstein præsentibus Commissarijs à Serenissimo Principe ex Austriæ Regimine ad hoc deputatis, lata est in hanc formam: *Domine Præposite; Illustrissimus Princeps noster Ferdinandus &c. imprimis magnam displicentiam habuit in hoc, quòd Universitatem*

suam

ſuam à ſuis Anteceſſoribus Auſtriæ Ducibus fundatam fecit citare ad Cardinalem, contemptâ jurisdictione ſuâ. Deinde ex Commiſſione Sereniſſimi Principis Dominationi Veſtræ demando, ac inhibeo, ut Univerſitatem in ſuis Privilegijs, Conſuetudinibus, ac Ordinationibus permittat, non moleſtet, neque Rectori Univerſitatis prælocari in publicis Stationibus præſumat in perpetuum. Quòd ſi contrarium feceritis, Principis indignationem incurretis.

Verùm non acquievit deciſioni huic Cancellarius, alia à Ferdinando obtenta Commiſſione, ac denuo Rectore Magnifico præeminentiæ ergo in jus vocato; cùm demum, uti docebimus, pro præeminentia Rectoris An. 1529. eſt deciſum.

Cœptum eodem hoc Anno immutari locationis in Philoſophicis gradibus ordinem hactenus uſitatum, tum Acta Artiſtica, tum Univerſitatis notant ſequentibus verbis. *Ultimâ Febr. in Eccleſia Divi Stephani coram Sepulchro Imp. Friderici, Rector Magnificus cum Conſilio ſuo convenerat, ubi propoſitum; quatenus Facultas Artium locationem in conferendis gradibus hactenus juxta merita obſervatam, certis ex cauſis immutatam velit, ac ſententiam ſuam ab Univerſitate roborari, ac validari: Aſſenſit major Conſilij pars.* Præbuit hæc novitas non parum tumultûs, contranitente Univerſitatis Cancellario præmemorato Domino Paulo de Oberſtein, ùt ad An. 1526. dicemus.

An. 1525.

Dum Germania ferè tota Ruſticorum bello à Sectarijs adverſùs Epiſcopos, & Clerum primò, deinde contra ſæculares Principes, Magiſtratus, ac Nobilitatem concitato conflagrat; bello item Italico Franciſcus Galliarum Rex à Cæſarianis ad Ticinum capitur, Vienna magnam partem Vulcano perijt: de quo ſi Acta Philoſophica referunt: *XVIII. Julij Viennæ noctu incendium eſt ſubortum: quàm grande, ac horridum fuerit, monumenta, tum ædium privatarum,*

tum

tum sacrarum posteritati indicabunt: ingenuè fateri possumus, quartam Urbis partem igne conflagrâsse; insuper de Universitate ferè actum fuisset, nisi optimorum hominum labore, aula Universitatis circùm circa flammis obruta, extincta fuisset.

Præsenti quoque Anno in Actis statutum reperio, ut Disputatio, *Quodlibeticam* vocabant, quotannis antiquitùs haberi solita, deinceps ob studentium paucitatem, temporúmque vicissitudines, adusque Universitatis reformationem aut prætermitteretur certè, aut non nisi triennio quovis, si opportunitas se obtulisset, haberetur. Hujus olim in Universitate nostra tam dilaudatæ Disputationis Quodlibeticæ dum memini, facere non possum, quin ex antiquis Academiæ Statutis, pluribus memorem, quibus legibus, & ratione eadem haberetur. Solemnis hic actus erat circa Festum D. Catharinæ quotannis celebrandus, in quo selectæ è septem Liberalium Artium materijs quæstiones disputationi proponerentur. Baccalaureorum erat, affirmativam, aut negativam, ùt visum, sustinere partem. Ex Artium Doctoribus, qui senissimus audiret, primus erat, qui disputationem designaret, & respondentibus præsideret, quem alij, atque alij, prout cujusque senij ordo ferebat, eadem in acta excipiebant annis singulis. Qui secùs fecerat, actúmq; non justissima ex causa neglexerat, ei 8. fl. gravis satìs eo tempore mulcta pendenda fuit.

An. 1526.

NOn parum terroris attulit clades à Solimano Turcarum Imperatore ad Mohazium Hungarico exercitui illata, quâ Rex ipse Ludovicus perijt: Pacem siquidem Solimanus Ludovico obtulerat, ut paratior esset ad resistendum Christianis, quos contra se maritimo bello depugnaturos, erepta nuper Rhodô, metuebat. At pacem, nequidquam disuadente Sigismundo Poloniæ Rege, ac Patruo, respuit, Italorum maxi-

maximè Regulorum precibus permotus. Collecto igitur 300000. exercitu Hungariam Solimanus invadit, ac direptis obvijs, patulísque locis, Salankamena, & Petrowaradino, capto insuper superioribus annis, ùt diximus, Belgrado, in viscera Hungariæ irrupit. Ludovicus collectis, quas poterat pro temporis angustia, viginti aliquot millium copijs, obviam profectus, die ipso decollationis D. Joannis Bapt. in Mohazinis campis ab hoste aggressus, exercitu cæso, & fugato, Rex ipse in fuga interijt. De quo ita acta Artistica:

Per hoc tempus Cæsar Turcarum innumerabili multitudine militum Regnum Hungariæ minaciter invasit, multa oppida, villas, Castella, depopulatus est, plurima incendio delevit; deinde 29. August. hoc est, in die Decollationis S. Joannis Bapt. congressi sunt exercitus Serenissimi Domini Ludovici Hungariæ, & Bohemiæ Regis, ac Turcarum; ubi aliquamdiu pugnatum est; Rege suo cum exercitu miserè succumbente, crudelis Cæsar victor evasit: multis Hungaris in fugam versis, plurimis occisis: & quod maximè omnium dolendum, Rex ipse, & quicunque præcipui Hungariæ Episcopi, gladio ceciderunt, & usque in hanc diem corpus Regium (inventum tamen postea est, & jussu Reginæ in Alba-Regali sepultum) *non est inventum. Amplitudinem spolii, bombardarum, equorum, curruum, auri, atque argenti, quis æstimare queat? taceo de strenuis militibus, optimis Nobilibus, quorum multa millia occisa sunt. Verùm hoc etiam justo Dei judicio propter peccata nostra factum creditur, ac nisi resipiscamus, majorem Dei iram sentiemus. Turca non contentus hac victoriâ, & fortunam sibi favere præsentiens ultro progressus, Budam Metropolim Hungariæ cum arce Regia 9. Septemb. cœpit, inæstimabilem rerum, & divitiarum copiam invenit, majori populi civitatis multitudine partim captâ, partim gladio cæsâ. Qui quidem Turca, spoliatâ, & exustâ civitate, & maximè pulcherrimâ Corvini Mathiæ Regis Bibliothecâ direptâ, fabricato per Danubium ponte versùs Transylvaniam exercitum duxit,*

duxit, qui quid cogitet, facilè concipi potest: nempe dormientibus, & ridentibus Christianis, Christianum extinguere nomen. Fertur, plùs quàm 8000. hominum secum abduxisse, & adeo Budam spoliâsse, ut nec unus quidem clavus ferreus illic sit repertus.

His sub Hungariæ cladibus domesticum Universitatis dissidium est terminatum; ubi enim prælaudatus Paulus de Oberstein Universitatis Cancellarius mutationi illi, qua promovendi in Artibus juxta Nobilitatis conditionem ex Universitatis Statuto locari cæperant, intercessisset; res ad Regentes Austriæ devoluta est, ad quos posteaquàm Facultatis rationes sunt delatæ; *scilicet ea de causa immutatum juxta merita promovendi Ordinem: 1mò, quòd paucissimi sub id tempus reperirentur Scholares, ac ex iis non nisi pauperiores, qui cùm promotionis taxam solvere vix possent, Nobiliores autem postpositionis timore Gradus negligerent, non exiguum esset periculum, ne Facultas ullum Gradum facere posset. 2dò quòd servato meritorum in studiis ordine dignitati Nobilium Adolescentum fieri non posset satìs, cùm ex his plerumque juvenes, ex pauperibus autem adultiores studiis vacarent.* His à Regentibus Austriæ perceptis, immutatio locandi juxta dignitatis conditionem est confirmata, donec in restauratione studii Viennensis aliud statueretur.

Inquisitum iterum à Theologica Facultate in eos; qui suspecti in Religione deferebantur; eorum unus certæ Religionis alumnus, *Frater Adamus Sporer*; alter Artium Magister Joannes Rosinus Encomiastes, & Sacerdos; absolutus iste, quòd se de propositionibus suis, quas in æde D. Stephani è Cathedra sparsisse ferebatur, purgâsset; factus subinde apud Ferdinandum Regem Regiorum liberorum Præceptor, ac Præpositus ad D. Stephanum. Quid circa Joannem Sporer decretum, Acta non insinuant. Et quoniam media quævis excindendæ Lutheraræ Sectæ Viennensi in Urbe adhibenda Ferdinandus statuisset, ad Senatum Civicum Anno hoc literas dedit, quibus ei imperatum; suam quoque

conferret operam, ne Concionatores contra Conſtitutiones Chriſtianas veteres prædicarent: transmiſit eas literas Civitatis Conſilium Univerſitati, petiítque, ſibi fieri aſſiſtentiam; Univerſitas rem totam Facultati Theologicæ commiſit.

Spiræ coacta rurſum Religionis, bellíque Comitia; ſed iterum neutra ex parte ullo effectu; imò Religionis in diſſidio illud decretum: interim, dum Concilium celebraretur, ita cuilibet agendum in ditione ſua, ut DEO ſimul & Cæſari juſtam aliquando poſſet reddere facti ſui rationem. Quo aditus factus eſt ad libertatis, quam vocabant conſcientiæ conceſſionem. Hæc dum Spiræ: Badenis quoque Helvetiorum cum Sacramentariis diſceptatio eſt habita; præcipuos Religionis Catholicæ inter Propugnatores advocatus erat Joannes Faber Academiæ noſtræ Doctor, cum Joanne Eckio, & Thoma Murnero: eo eventu, ut, teſte Surio, ſolis Tigurinis demptis, Helvetiorum Pagi omnes publico promulgarint edicto, in antiqua Catholica Religione ſtandum eſſe. Publicavit inſuper Joannes Faber contra Zwinglium ſcripto ingentem illius Antilogiarum numerum; recenſuit item ſupra 140. mendacia ex Oecolampadii documentis.

An. 1527.

SEcundùm obitum Ludovici Hungariæ Regis, cùm abſque hærede diſceſſiſſet, ſuperiori anno Joannes Zapolia Tranſylvaniæ Princeps, Scepuſienſis Comes, Regnum Hungariæ invaſit; eo jure, quod eſſet nobilitate generis Regi conjunctiſſimus, atque idem Regnum ab ſe & ſtrenuè, & frequenter defenſum: quorum Acta Theologica ita meminêre: *In Feſto Divi Martini Confeſſoris An. 1526. in Alba Regali Panoniæ electus, atque coronatus eſt in Regem Hungariæ Joannes dictus Weivoda; qui Regno Hungariæ, licèt ſæpiùs per Ferdinandum Principem Auſtriæ monitus, cedere noluit; verùm id ipſum varijs machinationibus & inſidijs aſſerere prætendit, & conatus eſt.* Ve-

Verùm cùm & vetera toties repetita pacta, Júsque uxorium Annæ pro Ferdinando ſtarent; nec Bohemi modò, ſed ex Hungaris quique præcipui cum Stephano Batorio Regni Palatino, ac Regina Maria Vidua Ferdinandi partes ſequerentur; is Bohemiæ, Hungariæque Regem ſe promulgavit, atque in Bohemiam profectus Pragæ 24tâ Februarij anno hoc Bohemiæ; ac ſubinde Jaurino, Comaromio, Budâ, Strigonio Alba Regali, aliísque locis in Ferdinandi poteſtatem redactis 3tiâ Novembris in Regem Hungariæ, die altera Sereniſſima Conjux in Reginam, ſunt inuncti: ſic Actis Artiſticis referentibus: *Tertia Novembris Sereniſſimus Rex Bohemiæ Ferdinandus Archi-Dux Auſtriæ, &c. in Regem Hungariæ in Alba Regali maxima cum ſolennitate coronatur, cui coronationi tanta hominum interfuit multitudo, quanta hominum memoria non vidit in alterius Regis coronatione. Die verò ſequenti Anna Bohemiæ Regina, Auſtriæ Archi-Duciſſa &c. Sereniſſimi Ferdinandi Conjux Reginarum Coronâ coronatur.*

Priusquam Ferdinandus ex Bohemia redux in Hungariam deſcenderet, omni memoria dignum menſe Junio veteris Auſtriacæ pietatis ſpectaculum Viennæ die Corporis Chriſti dedit; ſubinde feſtivitates ob natum Cæſari Carolo Filium Philippum, ac brevi poſt tempore Ferdinando itidem Maximilianum, conſecutæ ſunt: Quæ omnia verbis Actorum recitare juvet: *Sereniſſimus*, ajunt, *Hungariæ, atque Bohemiæ Rex, Ferdinandus die Corporis Chriſti, dum proceſſio ageretur, eandem ſuâ præſentiâ illuſtrare dignatus eſt; ſiquidem civibus, ut moris eſt, ordinatis, permultis ſuis Magnatibus Sacramentum Venerabile, quod ab Epiſcopo Viennenſi ſub cœlo portabatur, deducentibus eum à dextris Generoſo Domino Georgio à Puechaim Auſtriæ Mareſchallo, à ſiniſtris Magnifico Domino Wolffgango de Rogendorff, ſua Majeſtas ſola aureâ veſte amicta, enſe cincta, Cariophilorum ſerto caput coronata, orationale dextra manu gerens ſubſequitur, oculis huc illucque diſcurrentibus, ut animadverteret, quinam,*

nam, & quo pacto circumstantes sacro Eucharistiæ Sacramento debitam deferant reverentiam. Mirum est plebi visum, nec mediocre ad excutiendam vitiorum, & grassantis jam hæresis in Sacramentum Eucharistiæ socordiam exemplum.

Pridie autem, seu in vigilia hujus solemnitatis Corporis Christi, quæ fuit decima nona Junii hac in Urbe Viennensi in Templo D. Stephani Officium Missæ, cui nihil ceremoniarum defuit de Spiritu Sancto celebratum fuit, cui ultra hoc, quòd utriusq; sexûs populus devotè astitit, serenissimus Hungariæ, & Bohemiæ Rex, Princeps noster Illustrissimus Ferdinandus etiam suam præsentiam non deesse dignatus est. Quoniam Germani ejus, Invictissimi Romanorum Imperatoris Caroli, Primogeniti Filii Philippi nuper procreati intimatio omnibus solatio fuit, eidémque congratulabantur. Vespere verò multa fiebant in tota Urbe ob procreatum lætitiæ indicia, ac panes, & vinum distribuebant.

Eodem hoc anno deinde die quinta Augusti conveniunt nobiscum Primores cum suis Gweris, *ac aliis Nobilibus; Rector quoque Universitatis cum suis subjectis in Arce Viennensi cùm baptizatur Illustrissimus Princeps Maximilianus supradicti Regis Ferdinandi Primogenitus nudio quarto præcedente nocte in lucem editus, per Reverendissimum in Christo Patrem Dominum Christophorum Episcopum Labacensem. Tandem totus dies omni exultatione præditus: In crepusculo fiunt ignes in insignioribus Urbis locis, & in turri S. Stephani faces ardentes extenduntur; non cessat bombardarum frequens sonus, & aliorum id genus instrumentorum: fit quoque in populum panis, & vini elargitio; in quibus nimirum Rex Ferdinandus (qui septimâ ante die, quæ erat penultima Julii splendido, ac benè ornato exercitu, ac satelitio Hungarorum sibi inobedientium domandorum gratiâ in Hungariam descendit) si adfuisset (adfuit quidem soror ejus Maria, cujus absque dubio magnus tristitiæ propter occisum maritum Ludovicum Regem fomes conceptus adhuc in præcordiis latuit) spectaculum vidisset non ingratum.*

Ad-

Addunt denique Acta nostra ad annum hunc, mortem Casimiri Brandeburgensis, Exercitus Regij in Hungaria Præfecti, ac grassantem non in Hungaria modo, sed Viennæ etiam dissenteriæ luem his verbis: *Vigesimâ quartâ Octobris Illustrissimus Princeps Casimirus Marchio Brandenburgensis à Buda in curru mortuus Viennam est adductus, ac in Templo D. Stephani cum Vigilijs, Missis, caterísque Ceremonijs ex more Christiano peractis, deinde tertio die currui impositus à suis ad suos est adductus. Obijt verò Budæ in dissenteria, sicuti eodem morbo multi, præcipuè ex militibus advenis, è viventium numero discesserunt. Multi insuper alio graviori morbo, puta ex febri sinacha, mortui sunt, qui cum aërem mutare cupientes Viennam profecti, ibidem moriuntur, aliósque infecerunt.*

Hæc in Austria, vicináque Hungaria evenêre: Tristiora multò ex Italia nunciabantur: illud Universitatem omnino perterrefecit: direptam nempè Romam, Pontificémque Clementem, in Castello S. Angeli obsessum: Ubi enim in libertatem superiori anno Francisco Galliarum Rege restituto novumque bellum adversùs Carolum Cæsarem in Italia moliente, Clemens Pontifex ob ademptum sibi Rhegium Lepidi Cæsari offensus ad partes fædúsque Francisci accessit; eam ob causam à Columnensibus oppugnabatur: quos ùt Ecclesiæ hostes proscriptos, opibúsque nudatos, cùm adjuvandos sibi sumeret Ludovicus Borbonius Dux â Gallo nuper ad Cæsarem transiens, jámque exercitum, cui præficiebatur, Romam adduceret, Pontifex pacem cum Cæsare jciendam censuit eâ conditione, ut Lanojus Neapolis Prorex Borbonium cum exercitu ab Urbe averteret. At ille contempto Proregis interdicto sub Maji initia anno hoc Romam advolat; et non maxima contentione Urbem capit, diripítque; nec ad Ecclesias confugientibus parcitum, cruenta undique, & promiscua Romanorum cædes; Hispanis ipsis, magìs quam Germanis, tametsi eorum magna pars Lutheri è secta forent, teste ipso Spondano,

no, sævientibus: Bibliotheca Vaticana incomparabili codicum Thesauro instructa magnam partem depopulata. Dux Borbonius inter primum certamen glande trajectus cecidit; ne, qui obsidionis erat author, captæ Urbis gaudio frueretur. Arx deinde, quam Castellum S. Angeli appellant, & quo se Pontifex receperat, acriter obsessa; nec nisi post septimestrem Custodiam, Lauterecij Gallorum Belliducis adventu, Pontifex in tutiora est dilapsus.

Inscio, invitóque hæc Carolo Cæsare gesta Scriptores propè omnes annotârunt. Certè Carolus humanissimis Pontificis litteris flexus, jam ante, misso eum in finem Lanojo, novum cum eodem fædus injerat, Borboniíque ad Urbem iter indixerat. Atque cùm Romanam cladem absens tum in Hispanijs intellexisset, summum suum, quem exinde conceperat, dolorem, pluribus contestatus est. Nec modò enim illa, quæ miles â Pontifice & Cardinalibus vi, ac metu extorsit, rata habere noluit, sed ludos quoque ac spectacula festiva, quæ tum ob natum recens Philippum Filium Madriti edebantur, inhibuit; nihílque ei antiquiùs, quàm ut quantócyus in pristinam restitueret libertatem summum Ecclesiæ Antistitem. Quæ res majori tamen lætitiâ à Sectarijs per Germaniam accepta est, chartis propudiosis historiam miro odio in Ecclesiam Romanam celebrantibus, ac è cathedris in clerum, cleríque exterminium debacchantibus. Et sanè animadversum, quod vel ab inde majora indies Sectæ sumerent incrementa, ubi authoritatem Pontificiam passim adeo cernebant prostitutam.

Id ne in Austria, Austriacísque provincijs suis liceret, iretúrque obviam serpenti perversorum dogmatum veneno, studiosè adcurabat Ferdinandus. Eum in finem rursus Joannem Faber sibi jam tum ä sacratioribus Consilijs, facultatem Theologicam adire jubet, Regióque nomine postulare: *Ut omnes articulos hæresim sapientes, qui facultati, ejúsque Doctoribus*

pro

pro tunc constarent, in unum registrum rescriberent, & Regiæ Majestati præsentarentur. Verùm coactâ in Vigilia S. Jacobi Congregatione, Facultas coram delegato Joanne Fabro brevitatem temporis excusavit, & multorum articulorum se habere ignorantiam, quòd complures libelli in diversis locis divenditi, ac hæreticas continentes doctrinas ad manus non haberet. Interea ergo dum articuli conscriberentur, Doctores Theologi convocati sunt ad domum Huebarum, & ibi oretenus singula sunt expedita.

Nihil abinde prætermisit Theologorum Senatus, quæ suarum partium erant: sæpius iterum occupata in indagandis, examinandísque dubiæ Religionis hominibus. Eorum unus erat Magister Georgius Oëder Sacerdos, & Prædicans in Perchtolstorff, qui ubi nonnullos errores confessus esset, alios negâsset, de ejus pœna, reductionéque ad frugem cum Præposito Viennensi actum esse Acta memorant. Nec domi modò in expurgandis Lutheri erroribus Theologorum desudavit solers industria; ad exteros quoque adhibita: datas enim à Reverendissimo Principe, Pataviensi Administratore Ernesto ex Bavariæ Ducibus ad Facultatem Theologicam literas Mense Julio reperio, quibus Doctorem Theologum submitti postulat, interfuturum, ùt literæ sonabant, judicio contra quendam hæreticum de secta Lutherana habendo. Proficisci Pataviam jussus Doctor Albinus Graffinger, Lector Theologiæ ordinarius: Quod iter tamen, ùt Acta ajunt, propter longitudinem viæ, & brevitatem temporis non arripuit.

An. 1528.

ITerum anno hoc Joannes Faber Facultatem Theologicam conciverat, à qua peritissimos quosque Theologos deligi postulavit, Comissariis Regiis, nempe Christophoro Labacensi Episcopo, Christophoro de Zinzendorff, & Wolffgango Matseber, ituris per Austriacas Provincias, Austriam, Styriam, Carinthiam, &

Carnioliam, adjungendos: ut dum illi homagium, ſubſidiúmque ad bellum Turcicum reciperent, iſti Religionis rebus irent proſpectum. Addidit Regiâ quoque voluntate Faber alios duos articulos: *Congereret nempe Facultas Theologica authoritates, & loca ſacrarum litterarum adversùs Lutheranam factionem. Deinde Provinciam aſſumeret, certósque deligeret, qui Teſtamentum Novum, quod nuper à Luthero in Theutonicum translatum eſt, quódque variis ſcateret erroribus, juxta exemplaria vera, & antiquiora caſtigarent; quam tamen caſtigationem ſua ſub directione perficerent.* Reſpondit Facultas ſeſe in omnibus ad deſiderium Regiæ Majeſtatis fore promptiſſimam.

Nondum Menſis Aprilis, quo hæc agebantur, effluxerat, cùm ab eadem Facultate nova Inquiſitio habita eſt in Artium Magiſtrum Leopoldum Bernhardt, Burſæ Roſæ Proviſorem, qui 40. Articulorum, quos fidei Catholicæ contrarios temerè aſſeruerat, reus actus erat, quæ tamen in eum lata ſententia, Acta haud meminerunt. Menſe autem Martio *Balthaſar Huebmer Pacimontanus*, ſeu ex Fridperg, peſſimus Anabaptiſtarum Anteſignanus Viennæ rogo eſt concrematus. Scripſerat ſuperioribus annis adversùs impios ejuſdem errores ſæpe laudatus Joannes Faber Apologiam ſanè fundatam ſub nomine: *Orthodoxa Fidei Catholicæ Defenſio*, ac veritatis vi perverſum hominem ita convicerat, ut palinodiam in non paucis caneret; ſed quia in pluribus pertinax hæſerat, & Auſtriam Moraviæ vicinam Anabaptiſticis erroribus pergeret inficere, captus ac igni adjudicatus eſt. Uxor ejus triduo poſt in præterfluentem ſubmerſa; ac paucis poſt diebus duo aſſeclæ eâdem pœnâ ſunt condemnati. Rem, prout geſta eſt, ejuſdem anni Facultatis Artium Decanus Magiſter Stephanus Sprugl ſequentibus enarrat:

Decimo die Martii Sacrarum Literarum Profeſſor, nomine Balthaſar Huebmer ex Fridperg Viennæ ad ignem judicatur. Fuit is olim Lector ordinarius Ingolſtadii in Theologia,

logia, ac Ratisbonæ inter Concionatores præcipuus: ejus namque persuasione impii Judæi, qui annis multis, & satìs potenter urbem incoluerunt, sunt expulsi. Idem Doctor Balthasar inter reliquas hæreses, quas seminavit tum in concionibus suis, tum etiam libellis à se editis, Imò docuit palàm, sub specie panis in Sacramento altaris non esse verum Christi Corpus, nec sub speciebus vini verum Christi sanguinem. 2dò Anabaptistarum primus Author fuit; nempe utriusque sexûs multos rebaptizavit. Has Hæreses cum aliis multis (nam omnes enumerare nimis foret prolixum: ideo has silentio transeo) postquam in Helvetia ac Suevia, aliísque locis Superioris Germaniæ in corda multorum implantâsset: tandem in Moraviam venit ad Oppidum Niclospurgk (quod hoc tempore Schismaticorum, ac omnium hæreticorum asylum erat) ac ibidem suâ pestiferâ doctrinâ totam fere Moraviam, ac magnam Austriæ partem infecit: Ad eum nempe velut ad Apollinis Oraculum undique concursus fiebat. Reliquit multos discipulos impios sacrilegósque: qui omnem moventes lapidem, quo veram Religionem, Divinúmq; cultum ex hominum pectoribus radicitùs evellerent, ac communem Christi Fidelium concordiam, pacem, & amicitiam pedibus, manibúsque perturbare student. Postremò prædictus Doctor Serenissimi ac Christianissimi Regis Ferdinandi jussu, vinctus unà cum uxore (uxorem enim duxerat) Viennam ducitur, mittitúrque in carcerem. Deinde post aliquot septimanas ex Regio edicto ducitur in arcem, cui nomen est Greiffenstein, ac ibidem diu in carcere detentus, ad quem sæpius sunt missi viri doctissimi, integerrimíque, qui sincero animo, & compatienti eundem piè, amicè, ac fraternè admonuerunt, adhortatíque sunt, ut ab incepto proposito desisteret, ac errores suos revocaret. Sed quid multùm? Verba (ùt Comicus ait) mortuo fiunt: flecti namque à sententia nullis verbis potuit. Demum resipiscere cùm nollet, reducitur Viennam, ac in domo malefactorum (quam lingua patria vocant: in dem Schergenhauß*) per torturam examinatur: ac secundùm ejus confessa, ùt hæresiarcha ad ignem judicatur, comburitúrque. Ad supplicium dum ducitur, se*

I 5 *ipsum*

ipsum verbis hinc inde ex sacris literis sumptis consolatur, & constantissimè (imò rectiùs dixerim pertinacissimè) tanquam saxum immobile in sua haresi ad mortem usque permansit. Ad rogum dum venit flexis genibus super truncum ibidem vultu in cœlum erecto vernaculâ linguâ, & ea voce, qua est Helvetiis peculiaris, Deum Optimum Maximum, his aliisque consimilibus invocat verbis: O min gnädiger Gott, verlihe mir Gedult in miner grossen Marter, O min Vatter, ich sag dir Danck, daß du mich hütt wilt nemmen auß disen Jammerthall, mit Freuden begehre ich zu sterben, und zu dir kummen, ô Lamp, ô Lamp, das do hinnimbt di Sünd der Welt. O min Gott! in dine Händ befile ich minen Geist. *Convertens se ad populum ait*: O libe Brueder, ob ich etwo oinen beleidiget hett mit Worten oder Wercken, er wolle mir durch minen barmherzigen Gott verzigen; ich verzige auch allen den, di ye wider mich haben gethan. *Vestimentis cùm exueretur, dixit*: Dir min Herr, sin deine Kleder auch abgezogen worden. Ich will gern dargeben mine Kleder, und min Libe, auch alles, allin behütt min Geist, und mine Sel, di befilch ich dir. *Latinè deinde dixit: ô Domine, in manus tuas commendo spiritum meum! latinè nihil aliud locutus: sed tantum linguâ vernaculâ. Demum pedibus, manibusque ligatis rogo superponitur. Cúmque Carnifex barbæ (nam barbam satìs prolixam nutrivit) salnitrum, ac pulverem imponeret, ad eundem hac dixit verba*: O salz mich wohl, ô salz mich nur wohl: *Capútque erigens orabat circumstantes dicens*: O libe Brueder, bittet Gott minen gnedigen Vatter, daß er mir Gedult verleihe in min Liden, ich will sterben in einen Christlichen Glouben. *Ac rogo incenso ignem videns exclamavit alta voce*: O min himmlischer Vatter, ô min gnediger Gott! *Postremò barbâ, ac pilis incensis clamavit*: ô JESUS! JESUS! *& ita per fumum suffocatus, tandem expiravit. Hæc omnia dum fierent, vidi, & audivi: nam à rogo haud longè aberam, singula etiam ejus verba audivi. Visus etiam est inter orandum ridenti magìs similis,*

milis, quàm dolenti. Verbis denique satìs compositis, ac barbâ suâ Philosophicâ lachrymas excussit multis.

Uxor præfati Doctoris triduo post, hoc est 13tiâ die ejusdem mensis submergitur : *fuit enim* (ut laudatus Sprugelius prosequitur) *cum marito ejusdem farinæ, hoc est in eadem hæresi indurata. Sæpe namque ac crebro piè sinceréque admonita, ut ab exercenda hæresi desisteret, ac se Christi fidelibus conformaret, tamen omnia surda aure præterijt. Marito etiam constantior, aut (rectiùs ut loquar, pertinacior) hunc etenim, cum is ultimum vale eidem diceret, orabat, obsecrabátque, quatenus ad mortem usque in proposito suo viriliter, constantérque perseveraret : quod & ille intrepidè uxori promisit. Quare ipsa utì membrum putridum à reliquo corpore resecatur. Nam lapide ad collum suspenso, de majori ponte Danubij in aquam dejicitur. Deus Optimus Maximus his, ac omnibus miseris nobis peccatoribus secundùm magnam, & inexhaustam misericordiam suam misereatur. 24tâ Martij duo comburuntur (fuerant enim eadem hæresi, quâ Doctor Balthasar infecti) quorum alter fuit Sutor, alter verò rusticus, qui rogo superpositi inceperunt canere :* Kum Heiliger Geist, &c.

Sub his eadem acta : *Anno præsenti creverunt vina acerbissima, & immatura. Nam per dies octo aut decem continuos cecidit pruina, quæ uvas adhuc penitùs immaturas ita adussit, quasi ad ignem fuissent desicata. Vina tamen illa acerba in satìs magno fuerunt precio : nam octo aut decem numis octava vendebatur. Vini autem veteris octava, quæ æstatis tempore quatuor aut sex numis vendebatur, postea in autumno & hyeme dabatur quatuordecim, aut sexdecim, imò etiam viginti; tam subitò vini pretium fuit auctum. Crediderim ego vina anni præsentis fuisse similia vinis anni 1450. Nam anno prædicto, (ut habent annales) vina tam acerba, adeóque immatura creverunt, ut plerique in plateas publicas profunderent, eò, quod nemo posset illa bibere præ acerbitate nimia, vulgò & patria lingua dicta Raiff-Peisser, quasi dicas à pruina, antequam maturescerent, adusta : ignari igitur quasi circu-*

los

los vasorum adurerent, aut potiùs corroderent, consumeréntque, Räff-Peisser dictitabant: sicuti vulgus pleráque perperàm nominat; sicuti finis terræ, Zu dem finsteren Sternn. Et Carbunculum, morbum ac vitium commune vocat linguâ vernaculà das Mildt daw, cùm dicendum sit Wildt-daw, quasi ros agrestis, &c.

An. 1529.

ANnus hic non Universitati modò nostræ, sed Viennæ, ac universæ Germaniæ erat calamitosus. Sæviebat enim lues, quam Sudorem Anglicum dixêre: Austria incendijs, & rapinis vastata: Vienna arctissimâ obsidione à Solimano tentata; Spiræ in Comitijs subsidia ad bellum Turcicum ab hæterodoxis ordinibus denegata, nisi Religionjs libertatem impetrarent; cujus quoque occasione *Protestantium nomen* primò natum: Inferior Germania effuso Oceano prope obruta; tanta insuper annonæ difficultas, quantam nemo tum mortalium meminisset.

Causa cruenti adeò belli, Joannes Transylvaniæ Waiuoda, seu Regulus; Qui Hungariâ, cujus possessione exciderat, ut potiretur, per Legatum Hieronymum Laschum Siradiensem in Sarmatia Palatinum, Solimano se tributarium submiserat. Lætus belli semine Turca; 200000. vel ex Cadani, & Isthvanffij calculo, 400000. exercitum Hungariæ primùm iufudit, Budámque præsidio ferè destitutam primo adventu arcem longiori obsidione pressam, demum deditione, invito licèt Arcis præfecto Nadastio, capit, Germano milite contra pactam fidem, ubi arce egressus esset, internecione deleto. Rectà inde in Austriam cum copijs profectus, 21mâ Septembris, ut Acta Artistica notant, ipso die Divi Mathæi Viennam obsidione cinxit. Insperato, properóque hostis numerosissimi adventu Viennenses consternati licèt, quòd & milite, & commeatu eis parùm esset provisum, Urbis tamen defensionem omni contentione apparare. Commodùm Philip-

Philippus Rheni Palatinus cum cohortibus nonnullis adventum hostis prævenerat: muniendæ igitur Urbi, progugnandæque extemplo manus admotæ. Suburbia incinerata, Arx montis Cæcij, Archiducale Palatium, ne munimento hosti, nostrísque impedimento sint, ejus jussu diruta. Pons, majori Danubij brachio impositus, octo centurijs commeatui advehendo communitus; Porta, hodie Nova dicta, aggeribus, & cespite obstructa; Sacerdotes, Monachi, Senes, Pueri, Fæminæ, omnísque armis ineptum vulgus Urbe exclusi; quorum pars major in manus hostium delapsi vel cæsi, vel in servitutem abducti. Miles præsidiarius quatuordecim millium expertæ militiæ, quibus si Equestres Copias, Incolásque armis tractandis habiles, accenseas, viginti facilè millium Urbem propugnabat. Supremo Urbis, præsidiariorúmque Polymarcho Ferdinandi voluntate laudato antea Philippo Rheni Palatino Comite designato. Ordinem, datámq; provinciam defendendæ Urbis Author Synchronus in *Germania Austriaca* sequentem refert: Ad Carinthiacæ Portæ muros, ubi majùs imminebat periculum, excubabat Hispanus miles; inde ad Stubensem, & aliam à Rubra Turri cognominatam versùs, Ernestus à Brandenstein cum auxiliaribus Imperij cohortibus, & duobus Bohemorum millibus, quibus Ductores aderant Wilhelmus à Wartenberg, & Joannes Comes ab Hardeck: ad Judæorum Turrim, eo tempore dictam in Elend, prope Novam Portam stabat Reiprechtus ab Eberstorff: inde ad Scottensem, & Aulicam cum suis manipulis Maximilianus Leisser, Joannes à Greisseneck, & Joannes Hauser cum civibus. Aulam ipsam tuebatur Leonardus à Vels; ab ea ad Augustinianum usque cœnobium mænia propugnabat Abellus ab Holleneck cum Styris; inde rursus ad Carinthiacam Portam Urbi, ac hosti invigilabant Eckius à Reisach cum tribus peditum millibus, & Joannes Kazianer cum Carinthis. Ferdinandus ipse Spirensi ex Conven-

tu,

tu, ubi Viennæ ei obsidio nunciata, in Bohemiam profectus, ut laboranti auxilia properaret. Tenuit obsidio ad 16tam Octobris ingenti hostium conatu, majori obsessorum virtute. Dum demum tertiâ, & quartadecimâ die Octobris decretorios post assultus, etsi murus ad Stubarum Portam viginti pedibus collapsus hiaret, nunciato Ferdinandi Regis, ac Friderici Palatini Rheni Comitis adventu cum numeroso auxiliari exercitu, die post alterâ obsidionem solvit, atque incensis castris, captivis, quos secum habebat, cæsis, Hungariam primùm, atque inde BudæConstituto Joanne Transylvano Hungariæ beneficiario Rege, Solimanus Constantinopolim redijt. Sunt qui obsidionis tempore, ad 60000. cecidisse; abducta verò ex Austriacis terris in servitutem facilè itidem 60000. scribant. Obsessi cognitâ hostium fugâ, instructis Urbem ordinibus egressi solidum diem in armis stetêre. Atque ita Vienna totius Germaniæ propugnaculum secundùm Deum, Ferdinandi studio, virtute præsidiariorum, ac præprimis Palatinorum Comitum servatum: ea tamen Urbis, ac suburbiorum facie, ut Viennensis ipsi Viennam vix nôssent.

Hæc Urbis Viennensis ante fata, duos suorum Universitas funera extulit; Unum mense Aprili, Junio alterum, utriusque de se haud parum meriti. Primus eorum Vir ex æquo doctus ac præstans Joannes Cuspinianus, natione Franco Schweinfordiensis, Viennæ Artium Magister, & Medicinæ Doctor creatus, quam & subinde professus est: Apollineâ item laureâ à Maximiliano Cæsare redimitus. Præfuit An. 1500. Rector Magnificus, ex quo à Maximiliano Cæsare (cui æquè ac Friderico percharus, nec semel legationibus honestatus) Universitati Superintendens datus, Civitatis etiam Viennensis Præfecti, quem *Ambaldum* vocant, ac Consiliarij Regii munus sustinuit. Notatur à Spondano infectus Lutheri dogmatibus; quo authore, nescio, id certè neque ex Actis nostris compro-

probare licuit. Scriptor ab historijs suis percelebris, sed acer, & in multis dubius. Visitur etiamnum sepulchrum ejus in æde D. Stephani in sacello Crucifixi Salvatoris, cum sequenti Epitaphio.

Joannes Cuspinianus Doctor quodam, Civitatis Viennensis Præfectus. Anna Maria octo liberorum Mater; Agnes altera Conjux.

Excolui primum Musas, & Apollinis artes,
Nempe fui Medicus, túncque Pöeta simul.
Postea me rebus natum majoribus, auxit
Cæsar, & ornavit præsidis officio.
Illa igitur nostro sint verba inscripta sepulchro:
Vitam vixi olim, Cuspinianus eram.
Historiæ iṁensæ monumenta æterna reliqui,
Vivus in his semper Cuspinianus erit.

Vixit annis LVI. Anno M. D. XXIX. Mense Aprilis die 19. obijt.

Alter erat Magnificus, ac Reverendus Christophorus Külber Græcio Styrorum oriundus, Theologiæ Lector Stipendiatus, ad Divi Stephani Canonicus, & Custos: Archigymnasii Septies Rector, Religionis avitæ acerrimus propugnator. Obijt diem in profesto Sanctorum Martyrum Gervasij, & Prothasij, nempe decimâ nonâ Junij, cujus funus die altero, ut Acta habent, in eadem Ecclesia in choro versùs Aquilonem sepulchro mandatum est.

A morte Cuspiniani isto adhuc anno superintendens, qui Principis nomine Universitati præesset, ex voluntate Ferdinandi Austriæ Archiducis, nominatus est Vir eximius, Doctor Joannes Pilhamer; ut testatum eunt literæ à Ferdinando Ratisbonâ anno hoc 1529. die 30. Junij datæ, cújúsq; exemplum in pervetusto Decretorum Universitatis MS. libro asservatur.

An. 1530.

UBi superiori anno Carolus Cæsar Italiam, Galliámque pacaturus Barcinone primùm cum Pontifice, deinde Cameraci cum Galliarum Rege pacem sanxisset, in Italiam mari appulsus, Bononiæ anno hoc Mense Februario festo iterum D. Mathiæ luce, qua natus erat, Romanorum Imperator à Clemente VII. inauguratur. Inde multa cum Pontifice de bello Turcio, Religionísque per Germaniam dissidio collocutus, ad indicta abs se Augustæ Vindelicorum Comitia profectus est. Ipso profesto Gorporis Christi, die scilicet 15tâ Junii consultò Augustæ aderat, cùm die altera excusso Protestantibus rubore supplicationem Eucharisticam manu facem gestans, nudato, ardente licèt sole, capite deduxit. Stipabant latus Ferdinandus Frater Hungariæ Bohemiæque Rex; inde Brandeburgus Elector, secuti magno numero Catholici Principes. Cæptis Comitijs, de bello Turcico, quod Austriæ imminere rursus timebatur, de Religione, de eligendo in Romanum Regem Ferdinando actum. Adpromissa ab Imperij Ordinibus ad bellum subsidia; Regis designatio in annum alterum dilata. Religionis in negotio concinnata per Philippum Melanctonem Lutheri doctrina, in qua aliis articulis fidem suam declarat, alijs abusus ab ipso mutatos indicat, Cæsari oblata; Quæ dogmatum Consarcinatio abinde *Confessio Augustana* appellata, illúdque Evangelium est, ad quod Confessionistæ jurant. Quamquam Confessionis Augustanæ forma, quæ sequenti, mox anno edita, & ad quam hodie plerique Lutheranorum se profitentur, alia longè ab illa in multis variata, quæ Augustissimo Cæsari est præsentata. Eam ùt Cæsar accepit, discutiendam Doctoribus orthodoxis Eckio, Cochlæo, Joanni Fabro Universitatis nostræ Theologo unâ; alterâ ex parte peritissimis in re Lutherana comisit. Multis ultro citróque habitis Colloquijs, pro religionis concordia

dia parum confectum, diffidijs ferè ad generale Concilium, quod tum quidem Protestantes ipsi petebant, dilatis. Illud interea à Cæsare, Ordinibúsque statutum: sola ut Catholica auita Religio ab omnibus manuteneatur. Abinde fædus, quod Pium vocabant, à Cæsare cum Orthodoxis initum; item Comitia alia Coloniæ ad principium futuri anni indicta pacis sacræ, ac eligendi Ferdinandi in Romanorum Regem causâ. Fœderi illi, Comitiísque Protestantes suum Smalchaldicum jam superiori anno cæptum opposuêre.

Dum hæc extra Austriam: in eas ab obsidione Turcica jam ante ob Religionis disturbia propè dissipata, Universitas calamitates dilapsa est, ut parum abesset, quin corrueret. Moverat misera illa Academiæ conditio, ad quem per superintendentem Joannem Pilchamer perscripta fuit, addito à Rectore libello supplici, Ferdinandum, cui conservatione, incrementóque Academiæ tam bene hactenus de provincijs Austriacis meritæ nil magìs erat in votis: igitur Spirâ nonâ Februarij ad Rectorem, Superintendentem, nominatósque Commissarios literas expedit, mandátque; ut quàm diligentissimè dispicerent, qua potissimum re Universitas restauranda videretur. Nec deerant illi partibus suis, sed scrutati omnia, eas demum collabentis Archigymnasij causas Archi-Duci significandas invenêre: 1mò: quod magna esset Lectorum, Professorúmque eruditorum penuria, qui justi stipendij defectu Viennensem Academiam refugerent. 2dò: quod dissipata in Collegijs, & Bursis ob Religionis disturbia esset disciplina: 3tiò: quòd Fundationum negligeretur cura; denique non levibus identidem cum Episcopo, Civibus, Cancellario adversùs statuta, ac privilegia sua involveretur controversijs. Quibus aliísque ejusmodi perceptis articulis alteras Mense Decembri ad Locumtenentem, & Austriæ Regentes Ferdinandus dedit, ut, quæ pro commodo, restaurationéque Universitatis judicarent, sedulò & ipsi disquirerent, ac ad

ſeſe referrent. Quominus tamen aliquid effectui daretur, novus belli Turcici metus inhibuit.

An. 1531.

INterea Electores Coloniam profecti, nequidquam reclamante Joanne Saxoniæ Electore, aliísque nonnullis Proteſtantium, Nonis Januarij Ferdinandum Archi-Ducem Auſtriæ, Hungariæ, Bohemiæq; Regem, etiam in Romanorum deſignant, qui tertio ſubinde Idus ejusdem menſis Aquisgrani Rex eſt inauguratus. At rumore de repetenda in Auſtriam Turcarum expeditione Cæſar perculſus, Ratisbonam ad annum 1532. conventum Imperii Ordinibus alium edicit: detrectârunt obſequia Proteſtantes Schweinfurti primùm, tum Norimbergæ congregati, palàm profeſſi: nec Regem Ferdinandum ſe agnituros, nec in bellum Turcicum quidquam collaturos, ni Religionis libertas indulgeretur. Ceſſit Cæſar ſanè Catholicus temporum injuriâ Proteſtantium votis, atque in id conventum: ut communis, & publica pax conſtitueretur, nec cuiquam Religionis causâ moleſtia crearetur, uſque ad Concilii generalis Conventum, quem intra ſextum menſem à Pontifice indici curaturus eſſet Imperator; aut ſi hoc impetrari non poſſet, tum in Comitiis de ſumma rei tractaretur.

Viennæ ſub hæc ſublato è vivis Joanni de Revellis in Epiſcopatu ſucceſſit Joannes Faber natione Suevus Leükirchenſis, non Univerſitatis modò noſtræ, ſed & Eccleſiæ totius magnum lumen, & ornamentum. Vir enim erat ſcientiæ omnigenæ, doctrinæ magnæ, & Virtutis. Artium per annos complures Magiſter, deinde Theologiæ Doctor, ac in utroque Jure excultus. Archigymnaſii, ex quo eruditionem ſuam hauſerat, nunquam non memor; cui conſervandæ in avita Religione optimè ſemper conſulebat, fundatíſque perpetuis reditibus, quibus in Burſa Pruck quinque Adoleſcentes alerentur, proſpexit. Tranſcripſit quoque

que jam Episcopus optimorum librorum supellectilem studiosorum pauperum ad Divum Nicolaum Collegio: donationem suam hisce verbis exprimens: *Donamus Collegio nostro apud S. Nicolaum, ordinamusque, ut in perpetuum studentibus usui sit, juxta statuta, & praescripta nostra. Actum Viennae Imâ Septembris anno 1540.* Quo is conservandae, tuendaeque per Germaniam avitae Religionis zelo, ac studio flagraverit, abundè testatum eunt complures cum sectariis publici congressus, tótque pro re Catholica data in lucem volumina, non sine encomiis à Possevino recensita. Tantus igitur cùm esset Joannes, à Ferdinando accersitus, primùm conscientiae suae arbiter, & ab intimis consiliis esse jubetur; tum ad vacuam, ùt meminimus, Pastore Viennensem Ecclesiam admotus, eidem zelo, pietate, Doctrinâ decem ferè annis praefuit, Administrator simul Episcopatûs Neostadiensis, in id prae reliquis intentus: ne Viennam Sectariorum venenum amplius corriperet, correptíque avitae Religioni restituerentur. Obiit Anno 1541.

An. 1532.

CErtis jam nunciis de novo Turcarum bello significatum erat: ejus avertendi gratiâ missi Constantinopolim, quemadmodùm Acta Universitatis annotant, Oeniponto, ubi tum Ferdinandus erat, mense Februario Oratores D. Josephus de Lambach, & Comes de Nagroll, pacem ab Orientis Imperatore sollicitaturi. Verùm is, seu ulturus cladem ad Viennam tribus abhinc annis acceptam; seu dissidio Imperii Principum Religionis in causa fretus; seu tuendi Joannem suum in Hungaria Stipendiarium studiô, spretâ pace collectum 500000. Suriô teste, exercitum, superatis Dravi, & Savi amnibus, in Austriam intulit; Regionem omnem, quae Danubium inter, & Alpes interjacet, Styriam nempe, Carinthiam, Carnioliam, & Austriam ad Onasum usque igne, ferro, rapinis depopulatus; Chri-

ſtianorum, quorum jugulo parcitum, multis millibus in ſervitutem præmiſſis. His tamen in rapinis, & coacto ad deditionem, quod repetitis vicibus aggreſſus eſt, Gynſio, tota ſtetit Barbarorum expeditio. Ubi enim certus in caſtris hoſtium increbuit rumor de proximo Cæſarei exercitûs, quem Jovius ex Imperii, Hiſpanorum, Italorum, ac Auſtriacarum Provinciarum milite ducentorum ſexaginta millium comparatum ſcribit, itinere; non jam prælium hoſtis, ſed fugam meditari, quam mox turpiſſimam menſe Septembri iniit, poſteaquam haud procul Vienna inſignem à Philippo Palatino, qui primis copiis præiverat, 15000. cladem, non tentato totiùs exercitûs conflictu, accepiſſet. At nec quidquam quoque ulteriùs in correptum panico terrore Barbarum tam numeroſo Chriſtianorum exercitu, ad quem Pontifex ingentem auri vim præter conceſſas à Clero exactiones, militémque contulit, effectum: Carolo Cæſare, incaſsùm deprecante Fratre Ferdinando, partem maximam copiarum in Italiam, in qua novum bellum Franciſcus Galliarum Rex Anglo fœderatus interea orſus eſt, rapiente: relictis ad invadendam Hungariam Ferdinando nonnullis Italicis copiis, quæ tamen ortâ ſeditione elatis vexillis patriam quoque ſuam repetiêre.

An. 1533.

PUlſo Turcarum exercitu, ùt nonnulla Auſtriæ pax rediit, cætera inter Regnorum, Religioníſque negotia ad reſtituendum demum priſtinum Univerſitatis nitorem Ferdinandus Rex animum adjecit: longâ igitur induſtriâ, & plurium annorum ſpatio diſcuſſis iis, quæ ad Academiæ incrementum facerent, anno hoc reformationis formula eſt concepta, quâ non tantum priorum Principum Statuta, ac Privilegia confirmata, ſed & nova quædam addita. Profeſſoribus ex celeberrimis Gymnaſiis evocatis aucta ſtipendia, & ut laudatiſſimum hoc optimi Principis propoſitum ſuo potire-

tiretur effectu, omnibus ſtudiorum causâ Viennam accedentibus, publicatis per omnes Provincias literis, clementiam, variásque pollicetur immunitates. Exſtat Decretum iſtud invitatorium *Codici Auſtriaco* inſertum. Congregata itaque 7. Auguſti Univerſitate, à Domino Superintendente Joanne Pilhamer reformationis forma, in qua plurima de augmento ærarii Univerſitatis; de ſtipendiorum, & Burſarum adminiſtratione; de numero, & ordine Lectorum; de Lectionum ſedulitate, ac viſitationibus conſtituuntur, omnibus eſt perlecta. Non paucos tamen reſtaurationis articulos variis ex cauſis ſubinde expungi, aut mutari oportuit. Et quoniam id præprimis neceſſarium videbatur, ut viam, rationésque opportunas exhiberent, quibus ſtipendia Profeſſoribus augerentur, eum in finem laudatus Superintendens plurimùm cum Cardinale Tridentino egit: ſuâ apud Regem Ferdinandum authoritate efficeret, ut Prælatis cœnobitarum ſtabilia bona per Auſtriæ Provincias habentium certam pecuniæ ſummam ad Univerſitatis ærarium in ſingulos annos contribuendi onus imponeret. Qua in re quid effectum, ſuo loco referemus.

Alterum haud paulò poſt ad Univerſitatem ab eodem Ferdinando Rege Decretum emanavit, cui idem Joannes Pilhamer occaſionem dederat: Conſtitutus enim non diu à Cuſpiniani morte, Principis Superintendens, eundem, quem habuerat Cuſpinianus, tertium nempe inter Univerſitatis Proceres locum, depoſcebat, multùm obnitentibus quatuor Facultatum Decanis. Libellum igitur ſupplicem multis, ſolidiſque argumentis refertum (cujus MS. exemplar in pervetuſto variorum Decretorum libro reperi) Superintendens Regi porrigit, à quo facilè in ſui favorem obtinuit ad Univerſitatem Mandatum.

Atque hæc ferè in Auſtria: Carolus interea Bononiæ rurſum cum Clemente congreſſus novo icto fœdere multa de Italiæ quiete, multa de convocando Ge-

nerali Concilio egit. Pontifex, ut postulatis Protestantium faceret satis, anno hoc Hugonem Rongonium Episcopum Rheginum unà cum Oratore Cæsaris ad Joannem Fridericum, qui Parenti nuper demortuo successerat, Saxoniæ Electorem ablegat. Offert simul quædam capita de loco, tempore, modo Concilii. At Saxo ré cum sociis Protestantibus in Smalcaldico conventu 4. Junii communicatâ, articulos celebrandi Concilii eis conditionibus scripsit, quibus Pontifex non judex, sed reus esset; quódque solis Scripturis sacris, & quidem ad eorum sensum explanatis, niteretur; atque adeo spes omnis cogendi Concilii evanuit.

An. 1534.

INdulserat quidem superiori anno ad mandatum Principis Superintendenti locum tertium Universitas, eo tamen pacto addito: *Quòd locus iste Domino Pilhamer pro sua tantùm persona, non item pro Successoribus eius concederetur*: Offensus eâ clausulâ Superintendens rem iteratò ad Principem retulit, à quo demum is honoris locus in perpetuum est confirmatus, datis rursus ad Consilium Academicum hujus formæ literis:

Ferdinand von Gottes Gnaden Römischer, zue Hungern, und Behem &c. Khünig &c.

ERsamen, gelerten, andechtigen, und lieben Getrewen: Als Wir eüch wenig verganger Zeit bevolchen haben, daß ir den Ersamen, gelerten, unsern getrewen, lieben Johan Pilhamer Doctor, unsern Rat, als unsern geordenten Superintendenten unser hochen Schull zue Wien, sein Session, und Standt in allen Actibus, und Stationibus publicis, und privatis geben, und lassen sollet, wie vorrig Superintendentes, und neülichs weylend unser Anwalt unsers Stattrats zue Wien, Doctor Johan Cuspinian, als nemblich die dritte Statt

gehabt

gehabt haben. Vernemen Wir doch, und gelangt uns auch an, daß bey eüch noch darinnen etwas Waigerung sey, oder gesucht werden woll: so aber unser Mainung, und Willen ist, daß es also gehalten werde, so bevelchen Wir eüch mit Ernst, und wollen, daß ir gedachten Johan Pilhamer, unsern Rat, als gewirtigten Geordneten, und hiemit ainen jeden Superintendenten in allen Actibus, wie ob stet, nach ainen Rector, und Canzler der Universitet die negst Session gebet, und lesset, und ungehindert also heltet, und kein ferne Waigerung dehalb suechet, noch gebrauchet, angesechen, daß die Session nit der Person, sondern solichen Ambt billig zuegeordnet ist. Daran thuet ir unsern ernstlichen Willen, und Mainung. Geben zue Prag den XXVIIII. Januarii Anno Domini &c. XXXIIII. unserer Reiche deß Römischen in Vierten, und der andern in Achten.

Quo Mandato dissidium quoque de loci præcedentia à Paulo Oberstein jam anno 1519. excitatum, est sublatum.

Huic accedit & aliud, quod ea tempestate penè necessariò constituendum fuit: cùm enim hactenus Universitas ab origine sua potissimùm è Clero conflaretur (nam præter Theologiam non Artes modò liberales, sed vel ipsa Jura à sacris ferè prælegebantur Magistris) certè ad supremum Rectoratûs munus nemo ferme omnium matrimonio junctus est admissus; verùm quòd turbata Religione Viris eruditis haud abundaret, atque ex Jurisstis non nisì unus, ex Medicis nullus omnino, qui uxoratus non esset, superaret; ne observatâ hactenus Cælibatûs lege aditus ad Academicos honores Viris cæterùm egregiè Doctis intercluderetur non modico Universalis studii detrimento, à provido Principe, edito desuper 9. Martii per Excelsum Regimen decreto, statutum: nulli Laicorum legitimi matrimonii vinculum, si è Juris, Medicinæ, Artiúmve Facultatibus forent, præjudicio esset, quò minùs ad

Facultatum, Universitatísque dignitates deligantur; eâ tamen adjectâ clausulâ: *Doch wann ad censuras Ecclesiasticas procedirt werden solle, daz der beheyrat Rector alldann seinen Gewalt derselben Zeit einem, der in Sacris ist übergebe.* Insertæ integræ literæ hæ regiæ Annalibus Artistarum sunt.

Morem Regiæ voluntati gerendum Universitati visum est: Quare instanti mox Festo Sanctorum Martyrum Tiburcii, & Valeriani electus fuit Vir consultissimus Udalricus Gebhard J. U. Doctor, qui ex illis, qui uxorem duxissent, Primus Rectoris Magnifici munus sustineret. Deinde mense Decembri Joannes quidam Faber ex Weilhaimb conjugatus itidem, ac ætate jam gravis in Baccalaureum est promotus, quòd nimirum Facultas Artium sub id tempus suppositis ferè esset destituta.

Nec desunt alia, in quibus hoc tempore Universitas crevit. Juristarum enim Schola potiori sui parte aut è fundamentis ædificata, aut ex pristinis ruderibus reparata, operam in id suam plurimùm conferente prælaudato Universitatis Superintendente. Aula dein Academiæ novam formam induit cum Theologorum Lyceo, atque ipso Ducali Collegio.

Sub exitum anni, sexto scilicet Calendas Octobris Clemens VII. summus Pontifex obijt; peractis funebribus Alexander Farnesius, Cardinalium in electione præsentium ætate gravissimus, concordi suffragio tertio Idus Octobris Sedi Apostolicæ est admotus, assumpto Pauli III. Nomine; Cujus Pontificatûs initio Societatis JESU prima Parisiis in Monte Martyrum fundamenta, primis votis à decem sociis emissis, jacta sunt; quæ Societas futuris subinde temporibus non postrema Academiæ Viennensis pars est futura.

Haud displicuisse Principi Consilium augendi Universitatis ærarij nuper per Joannem Pilhamer Superintendentem cum Episcopo Tridentino communicatum, eventus docuit; datis enim ea super re Episcopo Vien-

nensi

nensi Joanni Fabro, L. B. à Leopoldstorff, Domino Doctore Dobrohost, ac Joanne Pilhamer Commissarijs, ex voluntate Regia decretum; ut imprimis Monasteria singula per utrámque Austriam, Styriam, Carinthiam, ac Carnioliam bonis stabilibus ditata, certam quot annos (binis in id statutis terminis, in festo scilicet S. Georgij, & S. Martini) pensionem ærario Universitatis inferrent. Deinde bona Monasterii D. Nicolai extra Stubarum portam siti, ac nuper obsidione Túrcica diruti, Canonicis ad S. Dorotheam quidem addixit, eâ tamen lege, ut media redituum pars, & paratâ quidem pecuniâ, commodo Academiæ accederet. S. Udalrici aliud erat Monasterium Novæ Civitati adjunctum, quod bellorum injuriâ planè collapsum Episcopatui Neostadiensi adscriptum fuerat, nec sinè onere, idem bonorum dimidium Universitati pendendi. His accessit religiosa extra Stubarum portam S. Spiritûs Viennæ domus, è qua 50. fl. in annos singulos alendo Theologiæ Lectori Viennensis Antistes, cui ea in perpetuum obvenit, numeraret. Hæc tametsi optimè essent à Principe ordinata, multas tamen lapsu temporis difficultates, & mutationes subjerunt.

An. 1535.

PRovisum jam fore ea ratione Universitatis ærario cùm crederetur, in id Commissariorum restituendæ Academiæ cura incubuit, ne Facultatibus singulis præstantes deessent Magistri: Ergo cum consensu Principis, ùt MS. Universitatis habent, Viennam ad jus Pontificium profitendum Claudius Caciuncula J. V. Doctor, Regi jam antehac à Consiliis, ac deinde à datis in lucem libris, quos inter opus sanè eruditum, quod *Topica Legalia* inscripsit, clarus, advocatur: ad Jus verò civile Ingolstadiô Fabius de Narnia Romanus, qui tamen, quòd de stipendio annuo haud facilè cum eo conveniretur, non nisi anno 1538. Universitatem accessit; Latinis verò literis excolendis Lucas Agatho-

pedius, seu Guttenfelder; Georgius Ridhamer Græcis datus est Magister: Hebraicam linguam Antonius Margaritha edocebat: Duobus Theologiæ Lectoribus Ambrosio scilicet Saltzer ex Sopronio Canonico ad D. Stephanum; & Joanni Aurifabro itidem Canonico, additus est Joannes Gaudentius Anhauser; Medicinam profiteri jussi Ulricus Faber, & Franciscus Emericus Oppaviensis; Mathesi Joannes Vogelin est præfectus.

Cæterarum Facultatum exemplum egregiè æmulata est Artium Facultas: quæ ut pristinum literariæ rei, quæ bellisq, fame, pestilentiâ, & turbatæ Religionis injuriis mirum quantum neglecta jacebat, decorem restitueret, die 29. Junii Diploma à se confectum publicis affixit valvis, quo optimis studiorum præceptis ad literas studiosos adhortabatur.

Verùm parum adeo hâc industriâ effectum, ut cùm annis his terni, quaterníque ad summùm literarios ad honores promoverentur, anno insequenti, scilicet 1536. non nisi unus sit inventus, cui Christophoro Tonstetter nomen, Viennensis, qui literarium in Artibus gradum postularet.

Sub hæc cum Turca infeliciùs in Persia pugnâsset, nec imeritò Joannes Transylvaniæ Waivoda Hungariæ Usurpator à Ferdinandi exercitu sibi metueret, Viennam Legatos adornant, cujus Acta Philos: in hæc verba meminêre: *In Junio venerunt Viennam Legationes à Cæsare Turcarum, & Joanne Waivoda ad tractandum de pace inter Ferdinandum Regem, & Cæsarem Turcarum, similiter etiam de concordia cum Joanne Waivoda.* Verùm induciæ cum Turca, ac pax cum Joanne non nisi sequenti anno apud Vaciam Hungariæ oppidum, ùt Isthvanffius refert, coaluit.

An. 1536.

AT Carolus Imperator expugnatis superiori anno Goleta, & Tuneto, rebúsque in Africa prosperè

gestis

gestis Italiam petens, anno hoc 1539. triumpho Romam invectus est. Præter regnorum negotia, iterum de Generali Concilio cum Pontifice, quod unum pullulantibus indies novis sectis (nam sub ea tempora & Calvinus Institutiones suas Basileæ publicavit, & Henricus Rex Angliæ ab Ecclesia proscriptus erat) medium præsentissimum esse videbatur, tractatum: Edidit igitur Paulus Romæ quarto Nonas Septembris Constitutionem, viginti sex Cardinalium nominibus subscriptam, qua Concilium Oecumenicum, decimo Kalendas Junij proximo anno 1537. inchoandum edixit. Locus Concilio habendo Mantua designata; sed cùm Mantuanus Dux varijs è causis Urbem suam Concilio sustinendo imparem dictitaret, & Germaniæ Urbem Germani mallent, Vicentia Pontifici placuit. Binis illac Concilium vicibus indictum, binis quoque vicibus suspensum. Translatum inde anno 1542. Tridentum quidem, at rursum in alia tempora dilatum, nec nisi anno 1545. initium Sessionibus Tridenti datum.

An. 1537. usque ad 1539.

GRavatas haud leviter pecuniariis exactionibus Facultates, ad annum hunc Acta meminêre: Vix enim conclusæ anno præterlapso induciæ; novum iterum bellum anno hoc exarserat. Tenebat Turca Esseckinum Sclavoniæ Oppidum à paludibus munitissimum; ex quo cùm identidem in regias excurreret provincias, ac sub ipsis induciis bellum occultè fereret, Eundem aperto marte aggredi Ferdinando visum. Fors ea quoque de causa, quòd ad Francisci Galliarum Regis preces Solimanus Neapolis littora diriperet, ac insuper bello Veneto apud Corcyram esset implicitus. Unde ut conscripto ex Bohemis, Hungaris, Italis, ac hæreditariis provinciis militi stipendia non deessent, exactio in singula hæreditariarum Ditionum capita est indicta. Quæ cùm & ab Universitatis alumnis postulare-

laretur, annuit illa quidem belli magnitudine commota; obtulítque Facultas Artium, ùt Acta memorant, 10. talenta numûm; Facultas Theologica (quæ sub hoc tempus duos tantùm numerabat Doctores) 2. talenta numûm; Medica 30 fl. Juridica 10. fl. adjectis tamen precibus, ut cùm Universitas alumnis ferè esset exhausta, ne à Licentiatis, ac Stipendiatis tertia pars annui censûs exigeretur. Ejusmodi Academici Concilij postulatis ad Ferdinandum tum Pragæ existentem delatis, sequentem rescripsit, ùt Acta habent articulum;

Der Universität halbē sind wür in allweg des gnädigen Gemüths, dieselbe, so vill möglich, zu erziglen, und in aufnemen zu bringen: welches ihnen den von Wien selbst zu ehren, guetten, und nuz kombt: Deshalben wür für billig achten, dass derselben, und sonderlich derer, so auss anderen Landen, und die allda zu Wien nit haussässig seyn, noch Grund, oder Gütter daselbst liegen haben, in berührten Anschlag verschonet werde.

At cùm nihilominus, ùt Acta Philosophica continuant, Senatus Civicus exemptionem Universitatis nondum à Rege decisam, ac necessitatem sumptuum ad bellum prætenderet, ejusdem Senatûs jussu Deputati Cives Bursas, Codriámque aurei montis, ipsum etiam Collegium Ducale obibant, ac censum à Scholaribus, Collegialibúsque extorquebant. Reclamatum quidem rursus ab Universitate, postulatúmque, ne passim privilegia violando occasio detur Universitati, quæ aliunde malè cohæreret, dissolvendæ; statutum tamen interea nihil, dum 1539. super exactionum causâ, jussu Regis ab Austriæ Regentibus benevolam accepit Universitas decisionem, quæ in prælaudatis Actis integra, item in pervetusto Decretorum MS. libro extat.

Interea in Hungariam exercitus Ferdinandi in duas divisus partes, quarum una copiarum Præfecto Comite

mite Katzianero Esseckinum oppugnaret; altera per Hungariam hostem observaret, profectus est: sed infelici eventu; fame enim, pluribúsque incommodis vexato milite, dum Esseckini obsidionem Katzianerus solvit, Machometes Dux, qui solvendæ obsidioni copias adproperabat, in recedentem Christianorum Exercitum invectus, ferè internecione delet. Katzianerus fugâ dilapsus, cùm perfidiæ accusaretur, aliquamdiu in custodia habitus, inde dilapsus, dum fugam ad hostes meditatur, à Comite Szrinio, quem perduelis fugæ socium solicitaverat, obtruncatur, misso ad Ferdinandum Regem perfidi capite. Meminêre bellorum horum Acta Artistica in hæc verba: *Hac æstate incerti bellorum rumores orti: primùm inter Cæsareum caput, & Regem Franciæ, quod bellum præter Cæsaris mentem in decem menses suspensum est: Alterum, & quidem terrâ, maríque difficillimum inter idem Cæsareum Caput (communi fæderis necessitate cogente, juncti enim sunt Veneti, & summus Pontifex) & Cæsarem Turcarum, qui Corsicam obsidebat. Postremò Regia Majestas & in Hungaria per Comitem Vels, & in Croatia per Comitem Katzianer Duces bellum gessit. At, proh dolor! Imâ Octob. Katzianer à Turcis stragem accepit.*

Dum hæc infeliciter bello in Hungaria aguntur, res pro conservando in avita Religione Archigymnasio præclara est confecta. Ubi enim Regio Diplomate, ut ad annum 1533. meminimus, invitati Viennam studiorum causâ Alumni, literarúmque Magistri haud pauci confluxissent, Wittenbergæ quoque Saxonum quidam creatus Magister, cui nomen Bartholomæus Zeüblrieder Kinzingensis ad Facultatem Artium admitti petebat. Verùm cum paucos ante annos Edicto Ferdinandi Regis alio vetaretur; ne quispiam Austriacorum Wittenbergam Lutheri dogmatibus infectam discendi ergo adiret, postulata Bartholomæi ad Concilium Universitatis Facultas Artium detulit; à qua responsum: non admittendum, nisi priùs à regio

Au-

Austriæ Senatu licentiam impetrâsset; obtulit ille Senatui libellum supplicem, iis potissimùm rationibus nixum: quòd & Spiræ, Lipsiæ, & aliis in Urbibus, Wittenbergenses Magistri, & Doctores admitterentur. Igitur Austriæ Regentes supplicantis rationes, studia, vitæque normam Rectori, Facultatibúsque Juris, & Artistarum iterum discutienda comisêre. Præstiterunt illi, quod imperatum; ac sequentibus ad Regentes verbis rescripserunt:

Römischer zu Hungern, und Böham &c. Königlicher Majestät, Ertzherzogen in Oesterreich, &c.

UNsers Allergnädigsten Herrns, und Landsfürsten hochlöblich Cantzler, und Regenten der Nieder-Oesterreicherischen Landen. Wol-Gebohrn, Edl-Gestreng, Hochgelert, und Vest-Gnädig Herrn; auf E. G beuelich, Maister Barthlme Zeüblrieder, wie er sich dan nent, betreffend, geben wür E. G. mit Unterthänigkeit diesen Bericht, so vill Wandel, und Kunst des Supplicanten betrifft, schlagen wür ihm nichts ab; dieweill aber erstlich Röm: Kays: und auch Kün: Maj: unser Allergnädigster Herr ernstlich verboten, bey Verliehrung Ehr, und Guet, dass niemand auss Ihrer Maistät Landen auf die Universität zu Wüttenberg ziehen solle studirens halben, mainen wür, dass auch die von Wüttenberg in Ihrer Maistät Landen, und Universitäten nicht anzunemmen seyn; und bevorab dieweill auch Päbstliche Heiligkeit, auss welcher Gewalt alle Gradus in Universitatibus verliben werden, gedachter Universität authoritatem Gradus conferendi auffgehebt hat; derohalben dan in andern Universitäten, als uns etlich der Unsern, so des wissen tragen, bericht, die so zu Wüttenberg auch in Artibus promovirt, nicht angenommen werden; ist uns demnach zu besorgen, ob wür das thäten, wür wurden Röm: Kays:

Kayſ: und Kün: Maiſt: auch Päbſtlicher Heiligkeit ungehorſam geacht werden. Uber das tragen wür auch Sorg, ſolches würd uns gegen den Hoch-und Ehrwürdigen Herrn Biſchoffen, und Probſt von Wien unſer Univerſität Canzler Ungunſt erwecken; und wiewol der Supplicant fürgibt, wie zu Speyer in Kayſ: Kamer Gerichten, und anderſtwo Doctores, und Magiſtri von Wüttenberg angenommen werden, das geſchicht leicht denen, ſo vorlengſt zu Wüttenberg promovirt ſeyn worden. Iedoch was E. G. in Namen Kün: Maiſtät ſchaffen, und uns ordentlich bevelchen, iſt unſer Gehorſam wolgefallen. Es hat auch Facultas Artium unter eines Iar Friſt drey Magiſtros von ander Univerſität guetwilliglich zu Fürderung der Lernung angenommen, an Zweiffl wird ſeyn auch ihnen, ſo bemelt Urſach nicht zu wider wären, zugelaſſen haben. Thuen uns E. G. unterthänig bevelchen.

Rector, & Facultas Juris, & Artium der Univerſität zu Wien.

Approbavit, collaudavítque Regimen Facultatum mentem, nec diu poſt Rector Magnificus præfatum Wittenbergenſem Magiſtrum Viennenſi Univerſitate exeſſe juſſit.

Exinde dies 15. Septembris anni labentis aderat, cùm rurſum Reformationis Forma reſumpta, & adjectis benè multis articulis, quibus anno 1533. creverat, publicata fuit; demandatúmque ſeverè omnibus, ut caverent, ne ab hac ſtudiorum Univerſitatis ratione poſthac diſcederetur: Atque hæc altera fuit à fundata Univerſitate, Academiæ, & ſtudiorum Viennenſium inſtauratio: Poſtquam nempe primùm ſæculo ferè integro (Annus is 1436. dies 20. Martii erat) antea tentata fuiſſet; ùt ex ejuſdem Reformationis Actis, cujus tranſcriptum in ſæpius dicto variorum Decretorum Univerſitatis libro habetur, colligimus.

Habuit, & illud anno hoc Univerſitas, quo ſibi gratularetur; terminatam feliciter, agitatam toties, &

& tot annis continuatam *de jurisdictione, & re testamentaria Ecclesiasticorum ad Academiam spectantium controversiam*, quæ Universitatem inter, & Episcopos Viennenses hucusque gliscebat. Compositionis ejus forma cùm *Codici Austriaco* inserta sit, ea super re nihil dicendum superat.

An. 1539.

RESTAURATA quidem optimis legibus Universitas videri poterat, quò minùs tamen sperata incrementa sumeret, stipendiorum à Lectoribus penuria iteratò causabatur, cùm & ab assignatis Monasteriorum S. Nicolai, & Udalrici bonis ærario nihil etiamnum accederet, & Prælati persolvendæ pensionis non paucas rationes obtenderent. Porrectum à Superintendente Joanne Pilhamer ea super re ad Austriæ Regentes libellum ad manus habeo; quid tamen desuper impetratum, posterioribus annis enarrandum.

An. 1540.

MORS Joannis Waivodæ, quam duodecimo Kalendas Augusti anno hoc 1540. obiit, Universitatis progressus non parum inhibuit. Aberat sub hæc tempora Ferdinandus Rex Gandavi in Belgio, ut Carolum Fratrem Cæsarem per Gallias profectum salutaret, ac cum eo de sedando Religionis turbine, qui famosis identidem libellis, direptione bonorum Ecclesiasticorum, armis etiam ciebatur, tractaret. Ad eum igitur ubi Joannem obiisse est perlatum, missis ad Isabellam Joannis viduam, quæ tunc Budæ erat, Legatis, Regnum Hungariæ, tum veteri jure, tum ex inito cum Joanne ejus conjuge pacto repetit: delecto quoque ad Portam Ottomanicam Oratore Hieronymo Lascho Poloniæ Palatino, qui jura Ferdinandi ad Hungariæ Coronam Solimanum edoceret. Nihil utrobique impetratum; Solimano jam per Legatos Isabellæ, quæ Eidem, Georgii Martinusii D. Pauli Monachi sua-

ſuaſu, regium puerum, cujus ille curator erat, ſtipendiario nomine ſubmiſerat, præoccupato. Ergo armis ſibi aſſerturus Regnum Ferdinandus ſub Autumnum Comitem Leonardum Velſium cum comparatis properè copiis mittit, qui Vicegradum, Albam Regalem, aliáque minoris nominis præſidia Iſabellæ extorquet, Præfectis Turcicis aſperrima hyeme à ferendo ſubſidio retardatis.

Urgebat recens iſtud bellorum periculum, ut muniendæ Viennenſi Urbi ſuprema demum manus adhiberetur: Cujus jam inde à ſoluta obſidione Turcica mænia reparari, & ſubinde latiori vallo amplioribúsque propugnaculis muniri cæpta; eum in finem domibus, vineis, ac ædificiis muro Civitatis adhærentibus, adhibitis. Nec rebus ad Univerſitatem ſpectantibus, parcitum: Hoſpitale enim S. Spiritûs cum D. Sebaſtiani Sacello, vineâ item unâ, & horto, quòd ſemiruta, aut deſerta jacerent, materiam propugnaculis educendis præbuêre.

Amiſit interea Academia noſtra Fabium de Narnia, quem ſuperiùs Ingolſtadio ad profitendum jus Civile advocatum diximus: Hic namque bona cum Univerſitatis venia Viennam iterum deſeruit, quòd ſtipendium 400. florenorum Auſtriæ Regentes non ampliùs ei perſolvendum decreviſſent, magnâ ſcilicet ob repetita bella rei pecuniariæ difficultate. Romæ autem 5tò Calendas Octobris Societatis JEſu Inſtitutum Authoritate Apoſtolica primùm approbatum, Ordòque confirmatus.

An. 1541.

NOn ſatìs læta anni ineuntis primordia Auſtriacis attulerunt. Præterqnam enim, quod Turca in Iſabellæ viduæ ſubſidium magnas cogere copias, & Hungariæ admovere diceretur; Carolus quoque Cæſar fruſtra iterum Ratisbonæ Conventum cum Proteſtantibus egit. Quare ſeu diſtracturus Solimani vires,

ſeu Hiſpaniæ proſpecturus, adversùm Algerios expeditionem adornat; Ferdinandus autem exercitum quadraginta millium Duce Wilhelmo Rogendorffio in Hungariam mittit expugnandæ Budæ. Verùm utrobique infeliciter: re enim irrita, multis ſuorum deſideratis, ex oppugnatione Algerii Carolus redire coactus: Rogendorffius verò, dum ſtrenuè quidem expugnandæ Budæ inſiſtit; at quòd ſpretis ſuorum conſiliis decretorium aiſultum in lucem alteram diſtuliſſet, non modò ab obſeſſis magna clade rejicitur, ſed ab adveniente in auxilia hoſtium exercitu etiam internecione deletur, cæſis ferè viginti millibus Chriſtianorum: qua in clade Rogendorffius ipſe ſeu ex vulneribus, ſeu animi dolore extinctus eſt; Solimano aſtu Budam ab Iſabella extorquente, quam cum Filio in Tranſylvaniam relegat perjurus; ſe cùm primùm puer adoleviſſet, Regnum cum Buda ei reſtituturum. Atque hoc ex anno Buda in poteſtate Turcarum erat, victricibus Leopoldi Magni Cæſaris armis An: 1686. recuperanda.

Tantis bellorum cladibus peſtis quoque ſæviſſima acceſſerat, qua Vienna cum Auſtria ferè tota proſternebatur; ita temporum horum calamitates Actis Artiſticis referentibus: *A menſe Junio uſque ad Purificationis feſtum anni 1542. Lectiones, Senatus & Regius, & civitatis ceſſàrunt, ob graviſſimè graſſantem per præſentem annum 1541. peſtem; ex qua in Auſtria tertia pars hominum trucidati; quot verò per totam Germaniam ablati ſint, facilè cogitari poterit. Sub hæc tempora, Septembri ſcilicet Menſe, expugnata quoque eſt à Turcis Buda, cæſis noſtris eam obſidentibus, à Georgio quodam Paulino Monacho partis Waivodenſis hoſtibus contra nos adjutis, maximo Chriſtianitatis, præcipuè harum terrarum malo; quòd ſubdola, & infelici ſtrage noſtri milites ad unum ferè omnes terrâ, marique perièrunt. Det Deus nobis in totum jam exantlatis meliora.*

Viduæ quoque ab obitu Joannis Fabri, qui in hunc annum

annum inciderat, jacebant Insulæ Viennenses, donec eas Reverendissimus Fridericus Nausea, Blanciampi in Franconia natus, resumeret, quibus sustinendis quatuor ipsis annis Fabro antea Coadjutor datus erat. Magnum inter eruditos æquè, ac fidei orthodoxæ propugnatores Nomen. Theologiæ enim, ac Legum Doctorem, deinde Ecclesiasten Moguntiæ, Ferdinandus Romanorum Rex ad se advocatum, sibi primò esse jussit à consiliis, & Concionibus; tum anno hoc Viennensem Episcopum. Vir ea etiam in dignitate Apostolicus, qui pro Domo Dei, & reducendis ad ovile Christi errantibus nullo pepercit labori, verbis potens, & libris, quos & Christiana eruditione, & fidei soliditate præstantes longo ordine recenset Possevinus. Interfuit deinde Fidei Catholicæ propugnator Concilio Tridentino sub Julio III. Anno 1551. ubi etiam, ùt dicetur, sacris laboribus immortuus est.

An. 1542.

SPirensibus in Comitiis, quæ belli Turcici causâ Ferdinandus, Carolo in Hispaniis absente, indixerat, communi consensu, & subsidiis expeditio in Turcam decernitur: Acatholicis ipsis metu victricium superiori anno armorum perculsis, ac Joanne Morono Nuncio Apostolico, Pontificis nomine non levem pecuniæ vim addicente. Collectis ingenti numero copiis Joachimus Brandeburgicus Elector præficitur: is in Hungariam profectus Budam quidem obsidione cinxit; at vel rumore advenientis cum prævalido exercitu Solimani territus, dum obsidionem solvit, tantus simul Germanorum apparatus, nullo operæ precio facto, præter levia quædam certamina, Autumno jam inclinante, dissipatus est. Quam expeditionem Chronicon Artist: ita literis mandavit:

31. Maii Anno 1542. Magnificus Dominus Rector cum tota Universitate Viennensi congregata Regiam Majestatem Spirâ redeuntem accepit; sibique precans felicissimam victoriam

gloriam, ac triumphum contra Crucis Christi inimicum Turcarum Imperatorem. Nam Clementissimus Rex fuit istius animi propositi, maximis copiis in Hungariam descendere, eúmque de Buda, quæ Sedes Regia Hungariæ est, pellere: locô verò Regis in auxilium missus est à Sacro Imperio Marchgravius de Brandenburg, qui & Elector est Romani Imperii. In Hungariam venit maximis copiis militum tum peditum, tum equitum, parum tamen profecit.

Viennam ubi Imperii miles transiret, Ferdinandus Rex Spirâ redux, seu ut Numen justis armis redderet propitium, seu ut Acatholicis pietatem avitam testaretur, solemnia Corporis Christi religiosiùs celebranda indixerat: *paulò post*, inquit prælaudatum Chronicon, *nempe octavâ Junii Festum Corporis Christi more solito solemniùs celebratum fuit, præsente Clementissimo Rege Ferdinando, liberísque suis, & aulicis; nullus tamen Principum, qui in Turcarum auxilium missi erant, interfuit; manserunt enim in exercitibus suis. Rex hoc die Monasteriis seriosissimè indixit, ne ferant Venerabile Sacramentum præter Ecclesiam S. Stephani, quæ unica Viennæ tunc ferebat, ùt vocant, sub Cælo.*

Tantæ pietati Principis, numerosóque exercitui, quòd felix non responderit successus, divinis comittendum judiciis; mereri sanè iram vindictámq; videri illa tempora poterant, discissâ tot erroribus Ecclesiâ, ac regnis Christianorum bello direptis: eodem enim anno Mars iterum Gallicus in Belgio & Navarra recruduit; quibus id demum effectum, ut sectariis, nuper Concilium postulantibus, occasio daretur ejusdem declinandi; Nam terni jam Pontificis Legati à Latere Tridentum Concilii anno 1542. aperiendi causa accesserant, sed irrito eventu.

Ardente tot bellorum flammis Hungariâ, Germaniáque penè omni; non deerant tamen vel prima ex nobilitate, qui dum literis Viennæ excoluntur, magno eidem, ac subinde Reipublicæ fuêre ornamento; numerabat enim suis in Scholis per ea tempora Nicolaum

laum

laum Comitem à Salm; Achatium, & Felicianum ab Herberſtein; Stephanum Baronem ab Eyzing; Adamum, & Carolum Barones à Dietrichſtein, Ludovicum à Kirchberg; Chriſtophorum, Stanislaum, & Nicolaum Sobiezky Nobiles Polonos; Wolffgangum & Joannem à Künigsberg; Chriſtophorum, & Albertum ab Althan; Chriſtophorum Jörger; Leonardum à Liechtenſtein de Nicolſpurg; Vitum Albertum de Puecheim; Bernardum, & Chriſtophorum à Teuffenbach, alióſque complures. Id unum dolendum videbatur, tot, tamque præclaræ ſpei, & originis adoleſcentes Lutheranæ ſectæ virus non paucos totis animis jam hauſiſſe. Nec fieri aliter poterat; cùm dilapſis veræ religionis cultoribus, ſectarii Præceptores graſſarentur. Certè, ùt Acta memorant, Facultas Theologica per hoſce annos duobus tantùm, ternísve Doctoribus definiebatur.

An. 1543. uſque ad 1545.

DUm Ferdinandus Rex anno hoc rurſum in Comitiis Norimbergæ indictis ſubſidia ab Imperii Ordinibus (quòd Proteſtantes auxiliū omne denegarent, ni de vexationibus Imperialis Cameræ ſibi ſatisfieret, Conciliúmque omitteretur) nequidquam procurat; Solimanus totam ferè Hungariam ſubjugavit. *Ea enim æſtate*, verba Actorum ſunt, *amiſſæ ſunt plures Civitates inſignes in nobiliſſimo Regno Hungariæ; Civitas Quinque Eccleſienſis, Alba Regalis, plures arces, Siclos, Valpa, Tatta, Arx Strigonienſis, & reliqua oppida non minùs opulenta, quàm clara. Conſcriptus eſt quidem exercitus à Ferdinando Rege noſtro, & expeditio inſtituta adverſùs Turcam, quæ tamen re infectâ ſoluta eſt Poſonii ad Feſtum Michaëlis, & motis Caſtris milites ad ſua redierunt.*

His Hungariæ cladibus acceſſit traductum etiam in Italiam à Gallo bellum, advocato in ſubſidium Turca; qui ad Franciſci Galliarum Regis, *Brietio* ipſo fatente, preces miſſo cum claſſe Barbaroſsa, maritimas

Italiæ oras vastabat, & Nicæam Gallis junctus, etsi incassùm, oppugnabat.

Quo pariter anno, ùt Surius, & Spondanus notant, è vivis excessit vir spectatissimus Joannes Eckius Artium, & Theologiæ Doctor, Ingolstadiensis Academiæ Vicecancellarius, non minimùm eo nomine Universitatis nostræ ornamentum, quòd eandem eruditionis causâ inviserit, & Ingolstadiensi fuerit ex Academia, quæ Viennensis est filia. Elogium ejus à Facultate Theologica Viennensi in ejusdem Actis concinnatum sequens reperi: *Moritur Ingolstadii Joannes Eckius Sanioris Theologiæ Professor ingeniosissimus, Catholicæ & Christianæ Religionis propugnator acerrimus, ùt inter Antagonistas Lutheri, & Lutheranorum primus, sic & omnium hæresum nostri temporis mastyx invictus: tantum enim ingenio, & eruditione Christiana pollebat.* Et certè Eckius erat, quem Deus Ecclesiæ suæ in Germania periculosis illis temporibus propugnatorem excitâsse visus est: quantùm enim pro re Catholica jam inde, quo Lutherus dogmata sua sparsit, & calamo, & sermone egerit, satìs testatum eunt eorum temporum monumenta, ac excusa typis volumina, quæ præclara cum commendatione enumerat Possevinus. Juverit audire quæ Eckius de laboribus suis pro avita fide prodiderit ad Conradum à Thungen Herbipolensem: *Ego*, inquit, *omnium minimus cum bestiis jam sæpe, & eminus, & cominus pugnavi; cominus quidem Lipsiæ cum ipso Draconis capite Luthero, & Carolstadio viginti diebus disputando, spectante nonnunquam Domino Georgio Saxoniæ Duce; & in Baden cum Capharnaita Oecolampadio, & asseclis, assidentibus duodecim Cantonum Helvetiorum Pagis, & quatuor Episcoporum Legatis, pluribus diebus conflixi. Eminus verò editis aliquot in Germania, & Italia libellis cum Hæreticis manum conserui; è quorum numero est Locorum Comunium Enchiridion à me editum, quo occupatiores in promtu haberent, quo hæreticis occurrerent.* Hæc ille.

Eckium

Eckium anno altero, ſcilicet 1544. in alteram vitam ſecutus eſt Reverendiſſimus vir Paulus ab Oberſtein J. U. Doctor, Maximiliano I. Cæſari à Conſiliis, ac ab anno 1517. Præpoſitus Cathedralis Eccleſiæ, Cancellariúſque Univerſitatis; Vir & pietate, & ſcientiis inſignis, niſi quod ſuorum importuna prætenſione jurium non exigua Academiæ ſæpius creaverit diſſidia.

An. 1545.

FActa poſt biennale bellum, adnitente plurimùm Pontifice, ſuperiori anno cum Gallo pace, initíſque, quòd Proteſtantes pervicaciter auxilia denegarent, cum Turca armorum induciis, anno demum iſto initium Tridentinæ Synodo datum; ut per eam pax quoque, & quies Eccleſiæ redderetur. Prima anno hoc, eáque unica habita Seſſio eſt Idibus Decembribus, qua Decretum de inchoando Concilio approbatum. Ex Univerſitate noſtra huic, ſequentibúſque ſub Paulo III. Seſſionihus Doctorum adſuit nemo; ſeu quòd non pauci, tametſi erroribus Lutheri non adhærrerent, Eccleſiaſticorum tamen mores averſarentur, ſeu quòd Facultas Theologica ferè tota defluxiſſet.

Poſt annuum interim Præpoſiti, &Cancellarii munus (cui à morte Pauli Oberſtein ſucceſſerat) bene geſtum, vitam finiit Joannes Roſinus, Orator pro ea tempeſtate celebris, ac Laureatus Pöeta; peperit ei dignitatem illam præter præclara eruditionis merita diligens Liberorum Ferdinandi Regis Inſtitutio. Ei ad brevem itidem vitæ uſuram, utraque in dignitate ſucceſſor datus Joannes Sauer Theologiæ Doctor.

An. 1546.

ANnus hic cum inſequenti ſanè Luctuoſus non Germaniæ modò, ſed & Univerſitati; complures enim Imperii Ordines, ac Principes à Cæſare ſimul, & Religione aperto bello defecêre, & Academia his

religionis turbis flantibus propè iterum ob defectum Alumnorum, Præceptorúmque corruebat. Vix namque Synodus Tridentina superiori anno cœperat, ac in præsentem quatuor aliæ Sessiones continuatæ, cùm Protestantes Concilium detestati, speciale Concordiæ causâ colloquium Imperiali aliqua in Urbe insolentiùs postulant. Ratisbona delecta, ad quam Protestantium, Catholicorúmque Legati principio mensis Januarii anni 1546. convenêre. Quid eo in Colloquio actum, Theologicum Chronicon ita annotavit.

Initio anni 1546. 27. Januarii Colloquium Ratisbonense, dum Concilium œcumenicum Tridenti eodem mense Secundam Sessionem habet, exorditur ad veræ fidei concordiam, Ecclesiæque Christianæ communem reformationem ineundam; Cœpit verò Colloquium ab octodecim Personis tractari, duobus Cæsareis præsidibus, post utrimque & Catholicis, & Protestantibus quatuor collocutoribus, & quatuor auditoribus; quibus additi sunt Notarii, quorum Scripta decisa ad destinatum tempus in obseratum Scrinium reponerentur: propositum quidem fuerat convenire, & colloqui de quinque capitibus; Primò de Sancta Trinitate, Incarnatione Christi, & Originali peccato; hæc verò in superiori colloquio excussa fuerunt; quare à Secundo inceperunt de Justificatione, Fide, Bonis operibus, &c. Tertium foret de Sacramentis tam in genere, quàm in specie; Quartò de Purgatorio, Suffragiis defunctorum, Veneratione Sanctorum, Usu imaginum, Cælibatu Sacerdotum, Votis monasticis, de Ciborum, & Dierum discrimine, ac omnibus Ceremoniis: Quintò de Ecclesia, Authoritate Clavium, Ordine Hierarchico Papæ, Episcoporum, & Conciliorum auctoritate. Hæc ferè est Summa Lutheranæ, seu Augustanæ Confessionis. Duravit verò solùm ad tertium usque Mensem, nempe vigesimam primam Martii; quia formam processûs à Cæsarea Majestate præscriptam nonnulli recipere & inire nollebant; sicque discesserunt, & dissolutum est Colloquium priùs, quàm verè, & ritè cœperat.

Hæc

Hæc dum maximè agerentur pro Lutheri Secta, ipse Tragœdiæ omnis incentor, & pacis publicæ inimicus, juratus Pontificis hostis, Martinus Lutherus Islebiæ, ubi sinistro fato lucem primam aspexit, lucem, vitámque infaustus reddidit. Cui uni non nostra solùm, sed omnes penè Germaniæ Universitates in debitis referre debent, quòd tantùm non corruerint, & planissimè extinctæ sint. Breve ejus vitæ compendium Annales Theologici in hæc verba contexuerunt: *17. Februarii moritur ex pectoris oppressione, & dolore, eo die sanus, antea bene prandens, & cœnans Martinus Luther tribus horis mediæ noctis in Eisleben Turringiæ, Civitate Comitis de Monsfeld, ubi & natus est, & educatus erat; professione deinde Monachus D. Augustino devotus: sub annum deinde 1517. regnante Maximiliano Cæsare, & Leone Papa X. mutavit vitam, religionem, animum, & habitum. Favente Friderico Saxoniæ Duce Wittenbergæ Catharinæ Abbatissæ Apostatæ ipse Apostata nupsit, Augustinensi Cœnobio prophanato, Ecclesiâque dirutâ, isthìc in Arce habitabat. Sepelitur Wittenbergæ annorum 64. Papæ, Cleri, Ceremoniarúmque Erinnis; & sicut Solimanus Turca Nobilium, ita ille verum Dei flagellum erat. Ach utinam, proh dolor! non plus pietatis destruxisset, quàm subdolâ fidei doctrinâ suâ ædificare volebat.*

Capite ergo suo destituti, & fatali Germaniæ face extincta, partes diutius cæteræ, & membra cohærere non poterant. Quare deserto turpiter Colloquio, quòd turpiùs antea urserunt Smalcaldici fœderis Protestantes, novum frequentare colloquium pertinaciter abnuunt, quod redux ex Belgio Carolus Cæsar in Mensem Majum Ratisbonam convocaverat. Et cum facilè perspicerent, planè destinatum Cæsari esse, vel armis Concilium Tridentinum tueri; ipsi quoque arma cogitârunt, quorum præcipui fuêre Fridericus Dux Saxoniæ Elector, & Philippus Hassiæ Landgravius, conscripto octoginta quinque peditum, equitúmque millium Exercitu. Utrumque Principem Cæsar publicis

blicis literis 13. Calendas Augusti, utì perfidos, seditiosos, Læsæ Majestatis reos, ac publicæ tranquilitatis perturbatores proscripsit. Illi econtra apertum Cæsari bellum denunciant, consiliis invicem divisi. Dum igitur moras nectunt consultando, urbibúsque subigendis; Imperator exercitum ex Hispanis, Belgicísque copiis, duodecim millium à Pontifice submissorum accessione auctum, comparat, quo saltem resist ere hostibus posse videretur. Verùm ex intestina Protestantium dissensione defluentibus eorum copiis, maximè ex quo Fridericus Elector Palatinus, seditiosorum partes deseruisset, ac pedibus Cæsareis advolutus in gratiam esset receptus, amplius quid Cæsar audere ratus, Castra Castris hostium opponit; his subinde recedentibus, Donabergam, Dilingam, Aichstadium, aliàsque Urbes, aut armis, aut missis Legatis, spe veniæ oblata, recuperat. Ferdinando interea Rege cum Mauritio Saxone Provincias Friderici Saxoniæ Electoris felicibus armis percurrente. Meminêre belli hujus Acta Theologica in hæc verba: *Mense Majo, & Junio Carolus V. Cæsar felicissimus, ac potentissimus Ratisbonæ iterum celebrare Comitia instituit, venit, proponit. Verùm Lutherani ex Smalcaldica Conspiratione, seu confœderatione centum ferè millibus armatorum confluebant, contra Cæsarem rebellionis, religionis dicere volebam, causam prætendentes Duce Saxone, & Hasso. Verùm totus rebellium exercitus ante Giengen profugit turpissimâ infamiâ ex suis Castris, adeo, ut sine omni strage; & sanguine Civitates Liberas Regni Romanorum denuo subjugârit.*

Neque tamen tanti bellorum per Germaniam motus Optimi Principis Ferdinandi Romanorum Regis curam obruere adeo poterant, quin identidem animo versaret, ut quam in Imperio armis defensam ibat Religionem, eandem Viennæ, atque in Universitate sua aut conservaret, aut ruentem restitueret, Ubi enim certis nunciis percepisset à Provinciæ Statibus acatholicos advocari Præceptores, eósque juventuti erudiendæ

endæ ipsa quoque in Academia præfici, malo ei ut præveniretur, Olomucio (nam per Moraviam, Bohemiámque legebat militem) ad Universitatem, Facultatémque Theologicam, dedit literas, quibus examinari in fidei, pietatísque causa Facultatum omnium Magistros, adhibito ad examen Ordinario Viennensi, & Præposito ad S. Stephanum, mandabat: Quarum tenorem ad verbum reddimus:

Ferdinand von GOttes Gnaden Römischer zu Hungern, und Behaim Künig, &c.

ERsam, Gelert, Andechtig, und Getreüe, Liebe. Nachdem Wir auf die Erinerung, so Uns glaubwürdig zuekhomen, kurz verschiner Zeit jüngst gewesnen Professorem der Hebreischen Sprachen bey Unser Universität zue Wien (*Erat is Franciscus Stancarus natione Italus*) dergleichen Wolffgangum Marcium, so ain ersame Landschafft Unsers Erz-Herzogthumbs Oesterreich unter der Ens zu ierer Kinder Præceptor angenomen, und dass sie den neüen verfierlichen Lehren verwont, und zuegethan gewest, von ieren Lecturen, und Dienst absetzen, und des Lands verweisen lassen, und dan zu Erhaltung Unser alten, wahren, löblichen, hergebrachten, Christlihen Religion, Unser, und Unserer Lande hoche Notturfft erfordern will, dass nun hinfiero in Annemung der Professoren zu angeregter Universitet, und Lerer der Jugend so vill sicherer gegangen, und allerley beschwerlicher, und nachteilliger Unrath, so auss Verfierung der Jugend zu besorgen ist, verfürt, und fürkhomen werden muge. Haben Wir Unsern Statthalter, Canzler, Regenten, und Räthen Unsers Regiments der Nieder-Oesterreicherischen Lande aufgelegt, und befolchen, dass sie nun hinfiero kainen Professoren, es sey in was Facultet, oder Sprach er wölle, zur Universitet annemmen, noch komen lassen sollen, er seye dan zuvor, und ehe er angenohmen wird

wird per Facultatem Theologicam, sambt den Bischoff, und Thuem-Probst zue Wien Glaubens, und Religion halben notturfftiglich examiniert, und in solchen Examen Unserer alten, waren, Christlichen Religion Verwand, und ein gehorsam Glied der Heiligen Christlichen Kirchen befunden worden; Zaigen euch solches genediger Mainung an, und ist darauf Unser ernstlicher Will, Mainung, und beuelich an euch, dass ier solcher Unser Verordnung biss auf Unser, oder Unser Erben genedige Verenderung gentzlichen, und unverbrochenlich gelebet, und nachkhomet, und auch hüerin kains weegs anderst haltet, damit also die Lecturen bey Unser Universitet mit erbarn, gelerten, und Unser alten, waren, Christlichen Religion werwonten Professoren, und Lesern ersetzt, und versehen, und das jenig, so zu Erbauung, und Erhaltung Unser Christlichen Religion, und Befürderung des gemainen Nutzes, und aller Erbarkeit bedacht, und füergenohmen worden, nicht zu den Widerspill, alss zu Abfall der Religion, und Verfüerung der Jugend, gedeyhe, und dieweill wier bemelte Bischoff, und Thuem-Probst zu solcher Examination, und verher biss auf Unser, und Unser Erben gnedige Verenderung adjungiren, und sye darin nicht mehr Auctoritet, dan ain ander jeder Theologus Facultatis Theologicæ in seinen Voto haben werden, so kanden Wir nicht befinden, dass solche Unser Verordnung Unser Universitet an ieren Fraihaiten, in ainigen weeg verlezlich seyn möge, oder ier darab ainig billich Beschwernung tragen sollet: darumb wollen Wir Uns gentzlichen zu euch verstehen, ier werdet derselben Unser Ordnung also gehorsamlich geleben. Daran thuet icr Unseren gnedigen, und ernstlichen Willen, und Mainung. Gegeben in Unser Statt Olumutz den dreyssigsten Dag Martii anno &c. Im Sechs und Viertzigsten, Unserer Reiche des Römischen in Sechszehenden, und der andern in Zwainzigsten.

Ferdinand.

Prom-

Prompti omnes & animo, & re ipsa morem gessêre justo Principis imperio. Franciscus Stancarus Viennâ pulsus in Prussiam ad Regiomontanam se contulit Academiam, inde in Poloniam ad Cracoviensem; verùm cùm enormia ejus dogmata vel ipsis Sectariis exosa essent, pænarum metu inde in Russiam profugit.

An. 1547.

Continuatum est Tridenti Concilium, habitæque Sessiones tres, ordine scilicet Sexta, & Septima, quibus accessit Octava, in qua decretum de Concilio ob grassantem pestiferam luem, Bononiam transferendo. Remansêre tamen Tridenti Germaniæ, Hispaniæque obnoxii Episcopi, quòd citra Cæsaris Imperium Bononiam adire eis fas non esset. Celebratæ à Congregatis Bononiæ Patribus Sessiones duæ, quas tamen abrupit Petro Aloysio Duci Placentiæ, Pontificis, priusquam sacris initiatus esset, suscepto filio illata cædes: nec nisi, ubi anno 1551. Tridentum à Julio Pontifice Concilium est revocatum, Sessiones sunt restitutæ. Rem ferè omnem Tridenti gestam Annuæ Theologicæ his verbis consignârunt: *Duravit interea Concilium Tridenti, Anno scilicet 1546. & 1547. licèt ob belli tumultus Germaniæ lentè procedat; tum quòd & adversa pars Hæreticorum hactenus istuc venire recusabat. Celebratæ interim sunt à Catholicis magnâ Patrum frequentiâ Sessiones quinque. In sexta Anno 1547. Articulum Justificationis cum annexis locis omnibus diutissimè, & Sanctissimè discussum publicârunt. Septimam habuerunt 3tiâ Martii de Sacramentis in genere, & Baptismate; item de abusu beneficiorum Ecclesiasticorum. Post recesserunt Cardinales Italici Bononiam, omnibus aliarum Nationum Præsidibus Tridenti remanentibus.*

Dum illa in Concilio: feliciter bellum Smalcaldicum Superiori anno cœptum, à Cæsare anno hoc confectum. Ubi enim Wirtenbergicus Princeps Cæsari se se submisit, ejus exemplum multis Imperii civitati-

bus

bus secutis; supererat Saxonicus Elector cum Hassiæ Landgravio, victoriis, quas à Mauritio Patruele suo, omni ditione spoliato, retulerat, ferox. Quare in eum totus belli impetus à Cæsare conversus, non irrito eventu; nam Albi fluvio prope per miraculum superato Carolus cum Ferdinando fratre, aliísque Catholicis Fridericum ad Lochanam sylvam prope Mülbergam assecutus, 8. Calendas Maji grandi novem horarum prælio fudit, vulneratúmque cæpit unà cum Ernesto Brunsvicensi. Lata post victoriam in Saxonem capitis sententia; at vitam obtinuit Electore Brandeburgensi, & Cliviense Duce pro affine deprecantibus. Exutus tamen est & Provinciis,& Electoratu, in Mauritium Saxonem Patruelem ex Albertina linea translatis. Landgravio Hassiæ certis sub conditionibus se Cæsari submittenti iidem cum Mauritio Saxone veniam obtinuêre. Retulit optimus Cæsar victoriam eam, quæ omnibus portentosa visa, uni Deo in acceptis, usurpatis illis Caji Cæsaris verbis, sed Christianè immutatis: *Veni, vidi; sed Deus vicit.* Haud paulò post celebrata sunt ab armato Cæsare Augustæ comitia, quam in Urbem Smalcaldici fœderis præcipuam, triumphantis in morem Carolus ingressus erat; résq; Catholica in illa restituta.

Sub hæc Pragæ vivis excessit ex partu Joannæ filiæ vita longiori dignissima, Anna Ferdinandi Romanorum Regis lectissima Conjux,quatuor filiorum,Maximiliani II. deinde Cæsaris, Ferdinandi, Joannis, & Caroli, ac undecim omnino filiarum fœcunda mater.

Cæterùm finem jam respiciebat annus, cum Universitatis nostræ nunquam non studiosus Ferdinandus Rex ad Nobilem ac Magnificum Virum Marcum Beck de Leopoldstorff Regiminis Austriæ Cancellarium litteras 17. Novembris expedit, quibus peculiariter demandat, dilapsam prope Facultatem Theologicam contentione omni restitui; in iisdem quoque Theologiæ Lectorem nominat Burchardum de Monte, qui nuper

nuper Concilio Tridenti interfuisset, natione Geldrium, assignatis ei in stipendium 150. florennis.

An. 1548.

AUgustanis in Comitiis Anno hoc procusa est Religionis formula viginti sex capitibus constans, quæ quod permissa esset à Cæsare, dum aliter in Universali Concilio definiretur, *Interim* appellata est. Caussam ejus referunt, quod revocandæ Oecumenicæ Synodo iteratis Caroli eum in finem Legatis, Paulus III. Pontifex variis de causis à Cæsare aversus, sese præberet difficilem. Probata tamen formula illa nec Catholicis, nec Heterodoxis; his, quòd nimiùm Pontificia, ùt ajebant, videretur: illis, quòd & invito Pontifice esset publicata, & avitæ fidei contraria nonnulla contineret.

Eo ipso in Augustano conventu Ferdinandus Rex edoctus Austriacam, cæterarúmque Provinciarum suarum Juventutem studiorum causâ passim in exteras Imperii Scholas non sine Viennensis Academiæ neglectu, Religionísque periculo dimitti, literas 5. Aprilis generales expedivit, quibus omnibus seriò quà sæcularibus, quà Eccclesiasticis suarum regionum subditis, & quidem sub pæna exilii, inhibet; ne quemquam suorum ad aliam, quàm duas ab Austriacis fundatas, Viennensem nempe, & Friburgensem in Brisgovia, ac ad Ingolstadiensem Academiam addiscendarum literarum ergo proficisci sinant. Inserta literarum forma *Codici Austriaco* extat.

Domi interim Electio Rectoris Magnifici nonnihil excitavit dissidii; nam cùm in Festo SS. Martyrum Tiburtii, & Valeriani, ùt Acta Facultatis Juridicæ insinuant, Rector Universitatis à Procuratoribus renunciatus esset Joannes Türnl J. U. Doctor, sed Facultati ejusdem necdum adlectus, acriter Juris Facultas ejus electioni se se opposuit: dum demum 24. Maii pacis, & concordiæ studio, factâ tamen, ne id in præjudicium

cium esset, priùs protestatione, suffragiis electorum cessit.

Ad eundem annum hunc Chronicon Philosophicum memorat, bonarum Artium Laureâ insignitum esse *Georgium à Drascovich*, natione, ut Acta ajunt, Croatam; à quibus literarum honoribus subinde ad Cardinalatûs usque apicem gradum fecit. Nam eximiæ virtutis, doctrinæ, atque eloquentiæ cùm esset, sub Paulo IV. Quinque Ecclesiensis Episcopus creatus est: mox sub Pio IV. Orator Ferdinandi jam Cæsaris ad Concilium Tridentinum profectus, luculentam anno 1562. in consessu Patrum Orationem habuit, qua Reipublicæ Christianæ tantis malis oppressæ opportuna remedia adhiberi posse ex docto illo Patrum consessu omnium asseveratione confirmavit. In Patriam dein reversus, Zagrabiensis Antistes, mox Archi-Episcopus Colocensis; demum ad preces Rudolphi II. Imperatoris Presbyter Cardinalis renunciatur: priusquam tamen Cardinalitium Galerum suscepturus Romam veniret, subito prostratus morbo pridie Calendas Februarii anno 1587. Viennæ vitâ excessit.

An. 1549.

PUblicato optimi Principis mandato, nonnullâ alumnorum accessione Universitas augeri cæpit: Quibus ne præstantes deessent disciplinarum Magistri, ex Italia advocatus est Martinus Bondenarius Juris Consultus, subinde Universitatis Cancellarius, & Præpositus Viennensis, ac Ardeacensis: Andreas item Dadius seu Kiebom; Guilielmus Coturnosus, seu Quackelbein: & Joannes Ramus; omnes tres Lovaniensi ex Gymnasio; quorum operâ, & studio Philosophia Viennensis multùm refloruit. Ut porro Præceptoribus de stipendio prospiceretur, id ex ærario Facultatum persolvendum Austriæ Regentibus, & Cameræ Concilio visum: datæ eum in finem ad Facultates singulas

gulas à Regimine literæ, quibus & redituum tabulas, & paratæ in ærario pecuniæ summam postulabant. Tergiversari Facultates ad hæc, ac rationes suas, quàm exhausta miseris illis annis essent æraria, quámque minimè conveniat Facultatibus Professorum fundatio, scripto referre: nec ulterius quidpiam eo in negotio agitatum, maximè quòd Ferdinandus Rex se Academiæ reditus aucturum significâsset.

Ad eundem annum hunc Acta Philosophica memorant, portentosum fæminæ in quartum ferè annum uterum ferentis partum, quo decimâ Decembris soluta est. *Ex Serio*, inquiunt, *invictissimi Romanorum Regis Domini nostri Clementissimi mandato injunctum est Nobili, ac Magnifico J. U. Doctori Friderico Harrer Universitatis Rectori, ut consilio communicato cum Dominis Consistorialibus, & Assesoribus suis, Margaretham, filiam cujusdam Wolffgangi Karbinger Civis Viennensis, sub juramento præstito inquireret de, & super gestatione fætûs per quadriennium ferè in utero, primò vivi, deinde emortui, & ejusdem per ventrem excisi, matre vivâ, & validâ permanente, & in integram sanitatem restitutâ, præsentibus Medicis Domino Doctore Joanne Enzianer, & Domino Mathia Cornax, qui scissuræ in ventrem matris factæ adfuêre: cujus rei tanquam testes plenariam fidem sub juramento exhibuerunt: atque ita esse compertum est, ut historiæ descriptio per Mathiam Cornax facta, atque per picturam exhibita est.*

An. 1550.

ANni hujus sexto Idus Februarii in Petri Sedem, quâ,& vitâ simul Paulus III. superiori anno quarto Idus Novembris cessit, Joannes Maria de Monte Cardinalis Prænestinus, assumpto Julii III. nomine, evectus est. Qui cum primus in Tridentina Synodo sub Paulo III. præses esset constitutus, juratúmque in Cardinalium Electorum Collegio foret, ut, qui Pontifex renunciaretur, Concilium Tridentinam in Ur-

M bem

bem reduceret; nihil poſt electionem antiquiùs habuit, quàm afflictæ tot ſectarum turbis Germaniæ pacem reddere. Ergo ne in præjudicium Eccleſiæ Nationales Synodi, juſſu Caroli per Germaniam celebrandæ, cederent, atque poſtulatis Cæſaris fieret ſatìs, 18. Calendas Decembris hujus anni Conſtitutionem de reducendo Oecumenico, continuandóque Tridenti Concilio promulgat, ac diem primam Maii anni inſequentis pro habenda rurſum Seſſione edicit.

Dum hæc Romæ pro Concilio; Auguſtanis in Comitiis Carolus Philippum filium, quem ſuperiori anno in Belgium advocatum ſecum Auguſtam deduxerat, Romanorum Regem renunciari adlaborat. Aderat & Maximilianus Ferdinandi Romanorum Regis Filius, ex Hiſpaniis, ubi biennio ante Mariam Caroli Patrui filiam duxerat, ad eadem Comitia advolans: diſcuſſit itaque Cæſaris conatus, tum Ferdinandus Romanorum Rex, tum Imperii ordines, cùm Juvenis utriusque præſentia; ille, quod tametſi ſpem antea ceſſionis Carolo feciſſet, aliis jam ageretur rationibus: iſti, quod affectatam Europæ monarchiam ſuſpicarentur; hæc denique, quòd Maximilianus indolis optimæ, & perhumanus; Philippus vultuoſus, & ſupra Germanorum mores faſtuoſus videretur.

An. 1551.

JActa ſunt Anno hoc eorum bellorum ſemina, quæ per annos deinceps complures Germaniam, Italiam, Galliam, & Hungariam miſerè involvebant, Lutheranâ Sectâ ſub hoc armorum ſtrepitu adeo prævalente, ut demum libertatem in Imperio nacta ſit. Belli porro Carolum Cæſarem inter, & Henricum II. Galliarum Regem cauſa fuit, Gallicum præſidium ab Octavio Farneſio Pauli III. nepote Parmæ receptum, rurſúsque Hiſpanum præſidium Gallorum ope à Senenſibus ejectum. Traducta mox eadem arma in Belgium, & Lotharingiam, varióque Marte pugnatum; nec

nec nisi anno 1559. post Caroli Cæsaris obitum, Philippum Hispaniarum inter & Henricum Galliæ Regem pax coaluit. Hæc belli flamma & Germaniam corripuit; nam cùm Protestantium Ordines: quorum Dux Mauritius Saxo nuper & novis ditionibus, & Electoratu â Cæsare auctus: ab Henrico sollicitati fædus, armâque cum eo pepigissent, eas suscepti belli rationes obtenderunt; servatas minimè factas Hasso sponsiones, sed protractam longiùs justo ejus custodiam: ambitam dein Carolo Europæ Monarchiam: oppressam demum per vim conscientiarum libertatem. Occasio denique belli Turcici in Hungaria cæpti, ereptæ nuper ùt Busbequius meminit, nonnullæ Turcis, tum bello Persico distentis, per Sclavoniam arces, & oppida; cædes item Georgii Martinusii Monachi, operâ Ferdinandi Regis ad Strigonienses Archi-Infulas, ac ad purpuram Cardinalitiam evecti; cujus causam, modúmque Scriptores varii pro affectuum varietate prodidêre. Non abs re fecero, si, quod pervetusta Actorum Bursæ Rosæ manuscripta recensent, in medium attulero.

Monachus Georgius Joanni Regi in Hungariam intruso à Consiliis; post ejus mortem, ut Transsylvaniam Hungariámque Joanni Sigismundo prioris filio retineret, partibus immanissimi Tyranni adhærere non erubuit: sed ut suspicione sibi per multos annos injustâ liberari possit, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæque Regi Ferdinando se totum obtulit. In cujus rei signum Regni *Hungariæ coronam 3. Septembris Anno 1551. Viennam per Hungaros misit. At falsa omnino erat perfunctio hæc; non enim juvare, sed neci tradere Regem nostrum constituit; adeo, ut pactum jam fecerit certissimum inter se, & crudeles inimicos nostros, quod in proximo bello futuro ab ipso constituendo, Rex unà cum toto ferè exercitu in manus Turcicas essent tradendi; & literis ultro citróque missis ad Turcarum Cæsarem hanc rem stabilem voluit. Interceptis tandem, hæc res latere diutius non potuit. Quare sic, ne summam calamitatem toti Europæ paritura es-*

 set,

set, detecta est: Nam iisdem literis proditionem molientibus ab exercitûs Præsidibus in Hungaria ad Regem Pragam missis, mandabatur illis, ut tanto malo toti Christianitati nocituro præcaveretur; id quidem transactum est: Nam omnibus Monachi servis, & satellitibus opportunè absentibus summo manè Secretarius Regius, qui se daturum à Rege literas dixit, in conclavi suo proditorem pugione confodit; cæteri verò Regii Capitanei accurrentes ejus cranium divise-runt, ac tandem obtruncârunt; & Cadaver sic inhumatum per longum tempus relictum est. Cædem hanc accepit die 17. Decembris Anno 1551. in proprio suoCastelloDuínz, primùm noviter in Transylvania ædificato.

Malè eam ob hominis, & Ecclesiastica, & Cardinalitia dignitate fulgentis cædem Ferdinandus audiit apud Julium Pontificem, à quo unà cum Authoribus Sacrorum communione interdictus. Ægrè tandem sententiæ suspensionem obtinuit, donec claris probasset argumentis Georgium ob occulta cum Turcis pacta in se fuisse perfidum, & Transylvaniæ proditorem. Id cæso Georgio ab omnibus laudi datum, quamdiu is viveret, novæ doctrinæ sectatoribus in Transylvaniam omnem interclusam viam; quam ejus post obitum omnisSectarum colluvies factâ bellisTurcicis portâ irruebat.

Priusquam illæ bellorum flammæ prorumperent, datum initium Synodo à Julio III. Tridentum superiori anno revocatæ. Quæ ut accuratione omni inchoaretur, Cæsar dimisso Augustano conventu decretum edidit, quo cujuscunque Religionis Sectatores ad concilium invitat, sponsionémque securitatis facit. Et aderant jam ad præstitum diem, primam scilicet Maii, terni Legati Pontificii cum nonnullis Episcopis, Oratoribus, Patribúsque, à quibus die illo celebrata Sessio ordine XI. quæ prima est sub Julio; in qua Decretum de resumptione Concilii promulgatum. Ingruente subinde bello, de quo diximus, Gallico, Sessio futura in Septembrem dilata; cujus mensis primâ die

die Sessio XII., undecimâ deinde Octobris XIII., deniq; die vigesimâ quintâ Novembris XIV. sunt celebratæ.

Hæc dum extra Austriam; Viennæ ad D. Stephani publica supplicatio instituta fuerat, ad quam horâ antemeridianâ sextâ, 24. Augusti Academici omnes jussu Magnifici Rectoris Sigismundi Oeder comparuêre: triplici illa ex causâ indicta; *primò*, verba actorum sunt: *Pro Ecclesiæ nostræ salute in Concilio Tridentino concludenda; 2dò pro felici, ac prospero Ferdinandi Regis successu contra Turcas; tertiò ad agendas Deo gratias propter restitutam Transsylvaniam.*

Interea restaurandæ rursum Universitatis, quæ etiamnum post plurimos optimi Principis conatus nondum in veterem vigorem restitui poterat, Ferdinandus seriam susceperat curam; igitur collecta per designatos Commissarios capita, septem distincta in Articulos, Rectori Magnifico, ejúsque Consilio sunt exhibita: quorum in primo serenissimus Rex significat; se pro Universitatis incremento reditus annuos 930. fl. in telonio Ypsensi ad 2000. fl. adaucturum, eo tamen pacto, ut Universitas reditibus ex Bonis S. Udalrici in Nova Civitate cedat. In secundo annuit ex ærario Regio conferendos 400. fl. pro reparatione Domûs Goldperg, cæteris autem domorum, ac Collegii Ducalis restaurationibus Universitas provideat. In tertio mandat, ut Universitatis Concilium perspiciat sedulò, in quibus Archigymnasium potissimùm reformatione egeat. In quarto præcipit idoneos quosdam deputari Doctores, à quibus Summa quædam, & Compendium Catechismi, seu Doctrinæ Catholicæ, Grammaticæ item, Dialecticæ, & Rhetoricæ in scholis tradendæ conficiatur. In quinto postulat sibi denunciari, quos in Professoribus defectus emendandos notaverint, quisve Professorum numerus necessarius videatur. In sexto, quotnam in Bursis aliísque scholarium domibus alumni, Magistríque accommodari. In septimo, qua ratione, quibusvis impensis sustentatio prædictis

Scholaribus ſuppeditari queat &c. Communicatâ per Facultates Principis mente, relatíſque ad Academicum Concilium ſuffragiis, gratiæ Clementiſſimo Regi actæ, ſuámque Univerſitas ſuper præfatos Articulos ſententiam tranſmiſit. At cùm parum ſatisfieret Principi, neque, ùt petebatur, ritè reſponſum, ad tertium, quartum, quintum,& ſextum Articulum eſſet, per eandem Deputatorum commiſſionem Univerſitatis Concilio injunctum, ut exactiùs reſponderent; Quod & præſtitum, quemadmodum ipſis in Regiis literis Actorum Artiſticorum libro inſertis longiori ordine recenſetur.

Iiſdem in literis Univerſitati ſpeciatim injunctum à Rege, Domum ſibi denunciaret, in quam ſtudiorum, Religioníſque causâ vocatos Viennam Societatis Jesu Religioſos collocaret; reſcripſerat illa: ſibi videri tantum ſupereſſe ſpatii inMonaſterioPrædicatorum,quantum pro Collegio Societatis ſatìs ſupérque eſſet. Id tametſi Regi incommodum videretur, novámque ea ſuper re peteret ab Univerſitate informationem, quia tamen Domus alia non occurrerat, in partem Monaſterii prædicti eam tunc quidem collocari oportuit.

Quoniam verò ipſis in Actis Facultatis Artiſticæ ad annum præſentem Societatis Jesu primùm Viennam adeuntis mentio injicitur, eáque non pars minimaUniverſitatis ſubinde futura eſt, juverit cauſam occaſionémque, cur Viennam accerſita, ex ejuſdem Societatis Collegii Viennenſis Hiſtoria referre, quæ ſic orditur:

* Cùm Sereniſſimus RomanorumRex Ferdinandus Caroli Quinti Frater multis, & gravibus cauſis permotus de Collegio Societatis Jesu Viennæ, quæ Metropolis eſt Auſtriæ, inſtituendo, animum adjeciſſet, & anno 1550. Imperialia Comitia Auguſtæ celebrarentur; ubi tum fortè cum Auguſtano Cardinali aderat R. P. Claudius Jajus unus ex primis decem columnis Societatis, & inſtinctu, & operâ Reverendiſſimi

Do-

Domini Urbani Labacensis Episcopi (qui Regiæ Majestati erat à Confessionibus) introductus est ad Regem prædictus Pater, cum quo Rex multa conferens ab eodem ad propositum suum, ac desiderium prosequendum incensus, & confirmatus fuit. Vivebat tum temporis adhuc primus Societatis, Anno 1540. Authoritate Apostolica approbatæ, Author, Admodùm R. P. Ignatius Lojola Præpositus ejusdem Societatis Generalis: ad hunc Ferdinandus Rex literas dat, & cum eo per Legatum suum Romæ commorantem seriò agit, ut ex suis aliquot operarios ad expurgandam excolendámque Vineam Domini per Austriam ad se mittere ne gravetur, nullis se parciturum sumptibus, quo bene illis sit, & prospiciatur. R. P. Ignatius, qui non modò Austriam, si qua ratione queat, converti cuperet, sed & orbem terrarum in Christi potestatem redigere, admodùm cupidè in id, quod petebatur, consensit. Anno proinde 1551. Mense Aprili R. P. undecim Socios ex omni Patrum, & Fratrum suorum multitudine delegit, videlicet P. Nicolaum Lanoyum Belgam; Erhardum, & Martinum Stevordianum Germanos; Joannem Victoriæ, & Moralium Hispanos; Dominicum Menginum, & Nicolaum Gallos; Brixium, Guilielmum, Angelum, & Suetonium Italum; omnes in humanioribus literis non mediocriter versatos, quosdam verò etiam in altioribus disciplinis excellentes: ductu P. Nicolai Lanoyi Viennam proficisci jubet: Quò mense integro in peregrinatione consumpto ultimo die Maii, non sine Regis expectatione, feliciter pervenerunt. Inter reliquos autem Urbanus Labaci Antistes Sociorum adventu mirificè exhilaratus est, & perquam suaviter exceptos continuò per hospitia distribuit, vestes, & alia necessaria suppeditavit, ac cibum domi suæ interea, dum illis habitatio apud familiam Dominicanorum pararetur, omnibus præbuit. Actum est Regiæ Majestatis jussu cum Prædicatoribus, ut Socios suo in Monaste-

 rio

rio ſecum habitare dignarentur. Sic pars Monaſterii cum Sacello, inculta quidem, & ruinoſa, ſed ſtatim ſumptibus Regiis utcunque reſtaurata, & ad Sociorum uſum accomodata, aſſignata eſt, quam paucis poſt diebus ab adventu ſuo illi occupârunt. Per illam verò æſtatem, & hyemem ſequentem ſcholæ nullæ à Sociis apertæ ſunt, ſed occupationibus pietatis erga proximos diligenter vacatum. Ne verò omnino ſtudia neglecta viderentur, poſt aliquot hebdomadas privatæ Lectiones, & quotidianæ Diſputationes domi inſtitutæ ſunt. *

Hucuſque Hiſtoria: ut proinde haud iis aſſentiar, qui adventanti Viennam Societati, à Ferdinando primam ſedem attributam ajunt domum illam, quæ hodie Divæ Annæ dicitur, & antehac Anno 1320. pro peregrinis fuerat extructa; ac ſubinde à Monialibus D. Claræ inhabitabatur. Nam etſi Domus illa Annæa, nonnulliſque dilapſæ Parthenonis reditus à Maximiliano II. Societatis Collegio aſſignatæ fuerint, priusquam tamen Domus illa à Ferdinendo II. Anno 1626. Tyrocinii excitandi gratiâ traderetur, à Societatis hominibus inhabitata non eſt.

Sub exitum deinde Junii Auguſtâ ab Imperialibus Comitiis Viennam venit R. P. Claudius Jajus, comite Magiſtro P. Schorichio; móxque idem P. Claudius & à ſcientia Theologica, in qua Pariſiis Doctor creatus erat, & à præclarè pro republica Chriſtiana tum in Tridentino Concilio (cujus ſub Paulo III. Seſſioni quintæ, ſextæ, & ſeptimæ Procuratorio Auguſtani Cardinalis Ottonis Truchſeſii nomine interfuit) geſtis clariſſimus, Theologiæ Profeſſor à Ferdinando Rege in Viennenſi Univerſitate conſtitutus, eandem prælegere cæpit. Auditúſque fuit, ut Acta loquuntur, è Cathedra Theologica tanta eruditione, & ſermonis gravitate, ut eruditos quoſque in ſui raperet admirationem.

Me-

Meminêre quoque vetusta quædam Bursæ Rosæ MS. anni hujus principio, die nempe 7mâ Januarii Viennam allatum Illustris, ac Magnifici Herois Domini Nicolai Comitis à Salamis, & Neuburg, Regiæ Majestatis à Consiliis, & Velleris aurei Equitis, Exercitûs per Hungariam Supremi Ducis, atque Comitatûs Posoniensis Præfecti funus, ídque in æde Sacra D. Dorotheæ sepultum; cujus in exequiis à M. Georgio Eder; decimâ deinde die in templo D. Stephani à Præcellente Wolffgango Lazio Medicinæ Doctore, de laudibus defuncti est peroratum.

Anno denique isto Domesticum jam Austriacæ pietatis exemplum renovatum; nam, ùt laudata Bursæ Rosæ Acta docent: *In die Corporis Christi Illustrissimus Rex Ferdinandus unâ cum Filiis suis tunc præsentibus processionem solitam summâ devotione secutus est: Octiduo post similiter, ubi ex mandato Regio Rector, & Universitas processionem quoque secuti, quod tamen aliàs in more non fuit.*

An. 1552.

DUm Mense Aprili Gallicus exercitus (ùt antea cum Mauritio conventum erat) Lotharingiam invasit, captis subinde, Imperii antehac Urbibus Virduno, Tullo, Metis; latens hactenus sub cineribus meditati per Mauritium Electorem Saxonem belli flamma, cujus causas superiori anno meminimus, erupit. Collectas primùm Protestantium copias (in belli fœdus Marchione Brandeburgico Alberto, & Guilielmo Hassiæ majore natu adscitis) Augustæ Vindelicorum admovet, quatuórque dierum spatiô obsessam deditione capit. Lincium inde abiit paucorum in comitatu, cum Ferdinando Rege de pace acturus; verùm quod eam minùs è votis suis speraret, Cæsarem, qui ad bellum inopinum parum paratus in Tyrolim secesserat, cum exercitu insecutus, disjectis alpium præsidiis, captóque Ehrenbergæ munimento,

 tan-

tantum terroris Carolo injecit, ut cum Ferdinando, qui mediator pacis apud Augustum Fratrem nuper advenerat, fugam Villacum Carinthiæ iniret. Restitutus libertati Joannes Fridericus Saxo; sed profugum in Carinthiam Cæsarem sequi maluit. Vix Carolus abierat, cùm Mauritius Oenipontum ingressus res omnes Imperatoris, Hispanorum, & Cardinalis Augustani diripit, Ferdinandi Regis, civiúmque non læsis; Alberto interea Brandeburgico Franconiam, vicináque Episcoporum ditiones depopulante. Pax tamen brevi post tempore, mensis scilicet Maii principio, Cæsarem inter, & Mauritium secuta, indignante Gallo, res Germaniæ nonnihil restituit, non item Religionis Catholicæ: Passaviensi enim in Conventu, qui perficiendæ pacis in mensem Augustum condictus erat, abolitum illud *Interim Religionis*, indultúmque Protestantibus, ut arbitratu suo viverent, dum lis omnis esset terminata.

Passaviensi icta pace, Cæsar Metas in Lotharingia obsidione cingit, eventu tamen irritô, ac ingenti suorum strage. Mauritius verò, ut eadem pace conventum, partem exercitûs in Hungariam Ferdinando Regi auxiliarem ducit, at simul adversùs Turcam res quoque parum prosperè cessit; insigni enim ab hoste ad Segedinum Christianorum miles clade affectus est: expugnatis inde à Barbaro Vesprimiensi Castro, Temeswarino, Lippâ, aliisque minoris nominis munimentis. Agria postremùm hostis impetus cohibuit, à duobus Stephanis, Dobore nimirum, & Nesqueio Præfectis contra triginta quinque dierum acres assultus fortissimè propugnata.

Dum bellum adhuc in Germania ferveret, Viennam attigit Serenissimus Maximilianus Austriæ Archidux, nuper ex Hispaniis in Germaniam redux. Omni lætitiæ significatione & à Civibus, & ab Universitate est salutatus; quemadmodum Tabulæ Bursæ Rosæ in hæc verba annotarunt. *Divus Maximilianus Austriæ Archi-*

Archidux, Ferdinandi Romanorum Regis Filius primogenitus, multis superatis periculis terra, marique, ex Hispaniis unà cum Conjuge sua Regina Maria Imperatoris Caroli V. Filia, & liberis in Panonias feliciter, cum maximo totiùs Austriæ gaudio, & melioris futuri statûs per hunc Heroem constituendi spe, revertitur, ac Viennam 7mâ Maii cum maximo totius Urbis applausu, lætitiâ, ac multis gaudiorum spectaculis, magnâ exterarum nationum, præcipuè Hispanorum, comitante catervâ ingreditur. Attulit secum Elephantem, Viennæ necdum visum. Senatus, Populúsq; Viennensis sui Principis congratulantes felicem reditum, munera eidem per pueros more militari instructos obtulerunt. Sequenti die Universitas nostra Principem excepit, Orante Domino Joanne Bapt. Pacheleb Juris Doctore, ac Consiliario Regio.

Posteaquam anno hoc Ingolstadio advocâsset Ferdinandus Rex P. Petrum Canisium, & P. Nicolaum Gaudonum Societatis Jesu Religiosos, primum ad populum Conciones habere jussit; quod Canisius præclara sui commendatione in æde S. Jacobi, dein ad S. Hieronymi, & apud Prædicatores præstitit. Gaudono verò secundam Theologiæ Scholasticæ lectionem in Universitate contulit. Publicæ quoque primùm Societatis Scholæ, erudiendæ politioribus literis juventuti æstatis initio apertæ, fructu subinde ingenti consecuto. Quamquam nec etiam jacerent severiora in Universitate studia; anno enim hoc quatuor ad primam Artium Lauream promoti, quos inter *Joannes Cobenzl ex Karsto*, cujus subinde nominis, & nationis familia in supremas apud Cæsares excrevit dignitates.

Læta Societatis initia funestavit P. Claudii Jaii obitus, primi ex Societate in Universitate Viennensi Theologiæ Professoris, qui ipso Transfigurationis Festo fatis cessit. Meminêre illius Acta Bursæ Rosæ: *Sexta die Augusti Claudius Jajus Artium, Sacræque Theologiæ Doctor, unus ex Jesuitarum, seu ex Societate Fraternitatis Christi contubernio, eorúmque quasi Præfectus, & Parens à*

Deo

Deo Optimo, quem indesinenter prædicare solebat, ad cælestia Regna humanitùs vocatur. Funus, ùt Historia Societatis tradit, ex Collegio, Prædicatorum Cœnobio juncto, ad D. Nicolai ædem, quam Franciscani de Observientia tunc incolebant, continenti pompa magnificè eductum; ubi in medio templi sepultus quiescit corpore, & spiritu vivit Deo. Ab ejus morte Theologiæ prælegendæ provincia ad P. Canisium est translata.

Jajum, Tridenti, ubi institutæ Synodo intererat, in æternitatem 6tâ Febr. præcessit Reverendissimus Fridericus Nausea Viennensis Antistes, non Urbis modò, sed & Universitatis, cujus membrum erat, ingenti luctu. Funus ejus Viennam delatum ad S. Stephanum conditur, ùt ex citato Bursæ Rosæ Chronico discimus: *26tâ Febr:* ait, *cadaver Reverendissimi in Christo Patris Friderici Nauseæ Episcopi Viennensis, J. U. & Theologiæ Doctoris præstantissimo ingenio, eruditione, & virtute, sapientiâ, & pietate præditi, & cum totius Civitatis maximo luctu ex Concilio Tridentinensi, ubi propter sinceri Verbi Dei maximam curam, & defensionem obiit, Viennam advectum, inque æde D. Stephani coram medio templi altari summis cum Ceremoniis est sepultum.* Visitur etiamnum eo in loco marmor cum sequenti inscriptione:

D. Fridericus Nausea Episcopus Viennensis
Anno M. D. C. L. II.

Aliud infra Aram D. Catharinæ Virginis Protomartyris in ejusdem templi columna epitaphium eidem erectum post annos octo, è tabula lignea, in qua ejus effigies è pulpito sacro ad populum dicentis coloribus expressa; subjecta hac epigraphe:

Reverendissimo in Christo Patri, Domino Friderico Nauseæ. Epis. Vien. qui vitâ momentaneè Tridenti in Concilio defunctus, inde translatus, hìc sepultus est.

An-

Antonius Mugliz Successor posuit. Anno Domini M. D. LX.

Dominus ad judicium veniet. *Esaiæ* 3.
Pœnitentiam agite. *Ezech.* 18.
Catholicum pavi populum sic Nausea verbo,
Ut pax Ecclesiæ toto floreret in orbe;
Pars ideo sum Concilii, majórque Tridenti;
Ossa Vienna tenet sed Præsulis abdita chari.

Post mortem Friderici 13. subinde Febr. à Neostadiensi Ecclesia ad Viennensem Episcopatum evocatus est Christophorus Wertwein. Alsata Phorzheimensis, Theologiæ in Universitate nostra, Jurisque Canonici antehac Alumnus, & Ferdinando Regi à Conscientiæ Consiliis. Vir spei maximæ, nisi eum citiùs, quàm credebatur, invida fata eripuissent; altero siquidem ab inito Episcopatu anno, mense Aprili humanis est ereptus.

An. 1553.

DEfunctus anno superiori Mauritius Saxoniæ Elector gesto quatuor menses bello Turcico, militem, copiásque suas in Saxoniam revocat adversùs Albertum Brandeburgensem militaturus; quòd nempe is transactioni Passaviensi subscribere nollet, & Germaniam hostilibus adhuc armis, Catholicorum maximè Episcoporum ditiones incurreret. Hunc igitur, ùt ùt amicum antea, & contra Carolum Cæsarem armorum socium, sancito cum Wilhelmo Hassiæ, Henrico Brunsvicensi, Ferdinando Rege, nonnullisque Imperii Episcopis fædere, ex condicto undique bello aggrediuntur. Et Mauritius quidem ad Visurgim Alberto se objicit, præliόque congredi ausum fudit, splendidâque potitus esset victoriâ, nisi læsi in prælio Mauritii mors consecuta victoriæ gloriam funestâsset. De quibus hæc Acta Bursæ Rosæ adnotârunt: *Nonâ Julii*

1553.

1553. inter Ducem Mauritium, & Marchionem Brandeburgensem non procul à Braunschweig prælium erat, in quo quidem conflictu, licèt victoria penes Ducis Mauritii milites steterat, id tamen non absque miserrima magnorum virorum strage factum erat. Duo enim Filii Ducis de Braunschweig, Comes de Monsfeld, & complures alii strenuâ manu contra Marchionem militantes, ejúsque crudelissimam multarum Civitatum devastationem impedire, ac prohibere volentes in hoc prælio occubuerunt. Sed Dux Mauritius globô læsus tertio die post conflictum moritur. Accepta hac clade Albertus à Fæderatis, regionibus quoque suis exutus, in Galliam anno insequenti effugit. Hæc in Germania.

In Belgio, Italiáque Carolus Imperator vario hisce annis marte depugnavit. Ferdinandus in Hungaria pacem à Turcis habuit, non item in Transylvania. Quâ etsi potiori ex parte potitus esset inito cum Turca fædere; anno tamen hoc 1553. totâ iterum excidit; Isabellâ inconstantis animæ fæminâ Solimani auxilia inclamante.

Secundiora omnia Universitatis res anno hoc habuêre. Ferdinandus enim Rex, cùm non nesciret, ea, quæ annis superioribus pro Universitatis incremento pluribus acta essent, grassante undique Viennæ Lutheranâ lue, & rei pecuniariæ penuriâ, nihil, aut parum admodùm commodi afferre; Ipse, quemadmodum Georgius Ederus, qui præsens aderat, testatum reliquit, reducendæ Universitati manum admovit; habitâque ad Provinciarum & Statuum Austriæ Proceres (qui tum in Comitiis aderant) gravissima, dissertissimáque oratione tantùm effecit, ut in alendos 100. & plures pauperes studiosos, qui Artibus liberalibus, & præprimis Theologiæ hac in Academia operam darent, sumptus per quinquennium suppeditarent. Nec Senatus, Populúsque Viennensis ærario publico pepercit; præterquàm enim, quòd 25. Scholares, aliis ingenio sagaciores, è suo alerent, Consilio etiam,

etiam, & patrocinio viri Optimi D. Sebastiani Huetstock moti, proprium illis Præceptorem, & Oeconomum in Bursa Rosæ præfecerunt.

Memorant eodem anno Acta Bursæ Rosæ tristem Universitatis jacturam Reverendissimi in Christo Patris Christophori Wertwein Episcopi Viennensis, nec non Sacræ Theologiæ Doctoris, & Ferdinando quondam Regi à concionibus simul, eleemosynis, & confessionibus. Qui cùm anno superiori, ùt diximus, è Neostadiensi Sede ad Viennensem assumptus esset, anno hoc 20. Maii hora 6. matutina fatis urgentibus eandem deseruit. Vacavit ab ejus obitu Episcopalis Sedes, annos ferè quinque, ad annum nempe 1558.

An. 1554.

INeunte hoc anno, dies is erat primus Januarii; Universitatis membra conceptæ secundo reformationis formulæ nomina sua subscripsêre, quæ paucis dein insequentibus diebus Ferdinandi Regis, Universitatis supremi Domini, & Patroni jussu affixa publicè, & in Gymnasii Aula cunctis audientibus prælecta est. Multa hac in Formula, quæ in superiori prætermissa erant, aut temporum injuriâ antiquata, restituta sunt; confirmata vetera Academiæ Privilegia, aucta Lectoribus stipendia, renovata alia, ac demum, quidquid Professorum erat, Doctorum, ac Baccalaureorum, Studiosorúmque, à communibus exactionum oneribus eximuntur, velut jam olim à primis Universitatis Fundatoribus, Austriæ Ducibus constitutum fuerat. Extant hæc ad verbum omnia in Universitatis Tabulario, quæ cùm longiora sint, hìc adduci haud oportuit.

Constitutis hunc in modum, transactísque præclarè Universitatis rationibus, aliud, ídque novum, in commodum Academiæ, à Rege emanavit Decretum, quo & Lectorum numerus, & stipendiorum ratio definiebatur. Habetur ejus Decreti exemplum in pervetusto Tabularii Universitatis MS. his verbis: *Sa-*

cra-

cratissima Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ Regia Majestas, Dominus Noster Clementissimus, publicata nuper reformatione Academiæ suæ Viennensis, cupiens proinde eidem de optimis quibusque Professoribus prospicere, subsequentes unà cum stipendiis cuivis deputatis nominandos, & designandos censuit, prout clementer nominat, & designat. Non ea quidem ratione, ut plures assumere non liceat, vel ut jam nunc constituta stipendia perpetua esse debeant, sed quod successu temporis exigente necessitate, seu publica suadente utilitate plures etiam Professores per Rectorem, Consistorium, & Superintendentem Regium conduci, stipendia denique pro qualitate, eruditione, & diligentia Professorum, ærariíque publici conditione per eosdem semper vel augeri, vel minui, moderaríque queant.

Atque ne stipendiorum, quæ Lectoribus constituebantur, solvendorum difficultas sese objiceret, Rex ipse voluit, ut æs omne, & proventus Universitatis apud se elocarentur, pro quibus duplicatum se redditurum censum benignissimè promisit: sic enim ulteriùs Decretum loquitur: *Quum etiam Universitatis proventus, qui exceptis bonis S. Nicolai summam duorum millium quingentorum octuaginta, & unius floreni excedere dicuntur, unà cum fructibus beneficiorum Universitatis ærario jam jam incorporatorum, pauciores sint, quàm ut solvendis præscriptis stipendiis, alíisque necessariis oneribus, & expensis ad Academiam spectantibus perferendis sufficiant: Quamobrem Sacra Majestas pro uberiore Regiæ suæ munificentiæ significatione clementer annuit, tam pecuniam in ærario publico restantem, quàm etiam eam, quæ ex venditione bonorum S. Nicolai Universitati cedet, ad manus suas recipere, ac pro singulis centenis, quinos, & totidem ex singulari liberalitatis gratia Academiæ annuatim persolvere, adeóque eandem justis desuper inscriptionibus, cautionibus, & assignationibus clementer se curare velle.*

Denique: ùt memoratum itidem Decretum prosequitur: *Cùm Sacra Regia Majestas in Scriptura sua reformatoria Statutorum hujus Universitatis, seu Academiæ suæ*

suæ Viennensis ipsi Rectori, & Consistorio nuper exhibita clementer sese obtulerit, gravem aliquem, & maturum virum, qui & pietate, & eruditione simul, atque authoritate polleat, & ad quem nullum tali ex officio commodum, aut incommodum redire queat, deputaturum, ut nomine, & loco Regiæ suæ Majestatis hujus celeberrimi Archi-Gymnasii Conservatorem, Protectorem, seu Superintendentem agat. Ideo Regia ejus Majestas hanc curam Consiliario, & Cancellario suo Patriarum inferioris Austriæ, Domino Alberto Widmanstetter J. U. Doct. demandandam, committendámque duxit, ad quem, rebus ita postulantibus, Rector unà cum Consistorio suo deinceps recurrere possit, ac debeat. Neque enim dubitat Majestas sua Regia, quin idem ille Cancellarius suus ad omnia, quæ ad ipsius Universitatis honorem, commodum, & incrementum pertinebunt, sedulò semper, attentóque animo invigilaturus sit.

Illud adhuc annus hic memoriâ dignum habet, quod JESU Societatem anno hoc nondum finito Rex Serenissimus Ferdinandus, postquam integro ferè triennio in Prædicatorum Cœnobii parte penè neglecta latitâsset, ad Carmelitarum Monasterium incolendum transire jusserit. Quo autem modo Domus illa, & Templum authoritate & Summi Pontificis, & Augusti Regis Patribus Societatis Jesu concessa sint, totidem verbis ex Actis enarramus.

* Est in ea urbis parte, quæ Occidentem spectat, haud procul à Scotorum Cœnobio, Monasterium, nec situ, nec magnitudine ulli Civitatis templo, post D. Stephani Fanum, secundum, D. Virginis à Rudolpho IV. circa A. Domini 1360. honoribus exædificatum; eo ipso scilicet in loco, ubi antehac veterum Marchionum Austriæ Aula fuit, ut proin etiamnum non Domus modò illa Religiosa, sed vicina Area (*Auff dem Hoff*) nominetur. Monasterium illud jam inde ab initio Sacræ Carmelitarum Familiæ, quæ & hominum multitudine, & doctrinæ opinione, & sanctitatis famâ incredibili tunc florebat, traditum, rebúsque omnibus

optimè instructum fuit. Verùm temporum decursu Monasterii status deteriùs habere, sensímq; dilabi, ac fluere, cúmque rebus ipsis etiam numerus Religiosorum diminui cœpit, maximè posterioribus hisce prælapsis annis grassante per Austriam non minùs, quàm Germaniam, Lutheri dogmate: quo tandem eò deventum, ut ex tanta antehac Religiosorum copia annis hisce unô plùs superfuerit nemo, & is ipse, ùt postea compertum, non Monachus, sed Presbyter sæcularis, Carmelitæ vestitu indutus; ne scilicet Monasterium omnino desertum videretur. Quo factum est, ut neque Sacra, neque Officia Divina, neque obsequia animarum more veteri haberentur, Ecclesia ipsa profanaretur, & Monasterium à non paucis sæcularibus inhabitaretur. Ea res, cùm per Judices ad Regis aures pervenisset, graviter molestéque factum tulit; confestímque ejus Religionis Provinciali denunciat: non ita Monasterii fortunas, Divináque officia in eo se negligi velle; Monachos, quot ad Ecclesiæ officium satìs esse videbuntur, aliunde procuret: Monasterium instauret, & restituat; id nisi intra triennium ritè curatum fuerit, sua se potestate usurum esse, neque commissurum, ut sacer locus, quem Majores sui Divino cultui dedicâssent, per solitudinem religiosæ familiæ profanaretur. Movebant hæc Provincialem; sed consilio misera illa tempora obstitêre, dum cum Religione Catholica in Austriâ æquè, ac Germaniâ ferè totâ, Religiosa Instituta profitentium numerus deficiebat. Quamobrem, cùm nihil horum, quæ Rex postulabat, neque tunc, neque deinceps dictus Provincialis procurare posset, tandem anno hoc 1554. sub finem Maii, Societatis JESU Religiosos in desertum à prioribus incolis Monasterium Ferdinandus succedere voluit, traditionem subinde in perpetuùm cum consensu Sum̃i Pontificis confirmante. Sæculares incolæ, qui tum Monasterium inhabitabant, è vestigio excedere jussi; Presbyter ille sub Carmelitæ vestitu Pareciæ Weisbergensi, haud

haud procul Corneoburgo, præfectus: Monasterium ipsum, ubi à Societatis hominibus est aditum, apertum omnino, incompositum, ruinosum, & ita profanatum, ut vel in ipso templo fœnum reponeretur, & in Monasterio horreum fieret, & armamentarium; supellex domestica alicujus momenti nulla; templi verò modica, & vetus; scilicet præter cupreum calicem, & aliquot Confraternitatum sacras vestes, nonnulláq; altarium monumenta in Sacrario repertum est nihil. Ædificium ipsum Monasterii iis solùm muris, & cubiculis definiebatur, quæ hodiedum domesticam Domûs Professæ aream respiciunt. Reliqua domûs pars à Societatis hominibus subinde est constructa. *

Vix Monasterii hujus possessionem adierat Societas; erant statim, qui & Convictûs alicujus juvenibus instituendis initium urgerent. Atque omnium primus quatuor filiorum parens filios suos offerebat. Quartâ igitur Julii quaterni hi fratres Convictorum primitiæ admissi sunt: Quibus & aliis dein, atque aliis accedentibus ædicula prope communem Collegii portam habitanda concessa est. Datus eis Præfectus è Societate aliquis, qui moribus juvenum invigilaret, & studiis.

An. 1555.

EDitâ eâ Universitatis reformatione Caput nonnihil Academia erigere cæpit. Auctis nempe Doctorum pensionibus suus cuiq; Facultati insignis Professor præerat, qui dum prælegendis literis solertem dant operam, auditores undique, & benè multi è Nobilitate etiam confluxerunt. Et Theologiæ quidem Studiosos (ùt regia stipendiorum assignatio testatur) instituebant Leonardus Villinus Canonicus ad D. Stephani, qui Scripturam Sacram explanavit. Petrus dein Canisius, & Nicolaus Lanoyus uterque è Societate JESU, Theologiam Scholasticam professi sunt; quorum primo 170; duobus reliquis singulis 140. fl. stipendi-

pendium eſt deſignatum. Juridica è Facultate D. Laurentius Kirchamer jus Eccleſiaſticum expoſuit; in Jus Civile R. D. Martinus Bondenarius, Præpoſitus ſimul ad D. Stephani, & Univerſitatis Cancellarius primo loco; ſecundo verò Dominus Stephanus Haubtman commentatus eſt: Inſtitutiones Imperiales elucidandi provincia Domino Sigismundo Oedero delata; primo 170. alteri ob plurima quoque Regia obſequia 300; duobus poſtremis ſingulis 100. fl. penſio obvenit. Medicinæ Aphoriſmos tres Profeſſores tradidêre; primus D. Franciſcus Emericus, alter D. Wolffgangus Lazius, tertius denique Joannes Schrotterus; Illi 150, horum cuivis 120. fl. ex ærario ſoluti. Ex Artium Facultate Gramaticæ leges docuit M. Laurentius Zadeſius, Dialectices M. Georgius Muſchlerus, Rhetoricæ M. Nicolaus Polites: Phyſicam Profeſſus eſt M. Guilielmus Coturnoſius; Logicam M. Andreas Dadius; datum ſingulis minerval 80. fl. Matheſi verò tradendæ terni inſudabant, Bartholomæus Reiſacher, Paulus Fabricius, & Georgius Joachimus Rheticus, conſtituto eorum primo 80, alteri 100. fl. ſalario. D. Caſparus Pirpach Ethicam legit; M. Lucas Guttenfelder, alio nomine Agathopedius, literis politioribus, ſeu Poëſi diſcipulos inſtituit. Hebræam D. Andreas Blancus; D. Petrus Raymundus, cum D. Guilielmo Poſtello Græcam profitebantur, quorum poſterior Arabicæ ſimul Linguæ juſſus eſt præcepta tradere; unde cùm cæteris his ſingulis 100. fl. poſtremo ob duplicatos labores 200. quoque florenorum ſtipendium eſt perſolutum.

Dum ea in Univerſitate; ſuis interea in ſcholis, quas tunc privatas adhuc, & Archigymnaſio nondum unitas habebant, minimè ſegnem promovendæ rei literariæ contulêre operam Societatis Magiſtri; nimirum jam tum numeroſa juventus tam humanioribus literis, quàm virtute ab illis excolebatur. Suſceperant quoque ſub id tempus, cupiente ita, & deprecante Reverendiſſimo Labacenſium Epiſcopo, Religioſi hi

viri

viri Aurei Montis Præfecturam, cujus maximè administratione P. Lanoyus diſtinebatur, nec ceſſabat, ut ædificium huic rei deſtinatum incrementum ſumeret, urgere. Et ſanè tantum indefeſſa contentione profecit, ut amplum quoddam juvenibus cubiculum accederet. Ineunte dein Autumno à Societatis Magiſtris *Comœdia Euripi*, magno ſpectatorum aſſenſu, & applauſu ſub dio acta fuit; atque hoc Viennæ omnium primùm ſpectaculum literarium erat.

Tam lætis literariæ rei progreſſionibus, Religio quoque Catholica Viennenſes inter Alumnos egregiè promota eſt. Ferdinandus enim Rex cùm videret, Fidei elementa, & à Sectatoribus perperam Juventuti præpoſtera ex Lutheri interpretatione inſtillari, & paſſim à plebe ignorari; anno jam 1551. Theologis dederat in mandatis, ut Doctrinæ Catholicæ Summam aliquam, ſeu Catechiſmum per nonnullos Facultatis ſuæ concinnatum vulgarent, non ſtudioſis modò Adoleſcentibus, ſed omnis ſortis hominibus ediſcendum. Sed cùm tardaret opus hoc Facultas, id Patri Petro Caniſio è Societate JESU Facultatis ejuſdem Doctori ſuperiori anno curandum dedit: qui manum operi admovens brevi poſt tempore opuſculum perfecit, & anno hoc 1555. Viennæ primùm in lucem edidit Catechiſmum illum, qui non à Scholis modò Viennenſibus, ſed ferè omnibus Academiis Europæ magno rei Catholicæ emolumento ſuſceptus, & deinceps per Orbem omnem tanquam puriſſimus Catholicæ Religionis ſuccus diſperſus eſt.

Interea, quòd cæptum nuper Tridenti Concilium differretur, ac Germania tota Religionis diſſidio miſerè æſtuaret, Auguſtæ Comitia à Ferdinando Rege Auguſti Cæſaris nomine à menſe Februario uſque in Septembrem continuata ſunt. Cohortatus eſt optimus Princeps Imperii Ordines ad unitatem Fidei, & concordiam; at poſt diſceptationes plurimas eis tandem ſubſcripſit Decretis, quæ pacis reſtituendæ causâ iiſdem

 in

in Comitiis ſunt confecta, editáque habentur apud *Pallavicinum.*

Dum hæc in Comitiis Auguſtanis geruntur, ad primam uſque Aprilis adhuc ad clavum Eccleſiæ ſederat Julius III. quo deinde die vitam obiit. In cujus locum ingenti orbis approbatione evectus eſt Pontiſex verè optimus Marcellus II. à quo maxima quæque cùm Europa expectaret, oſtenſus tantùm, non conceſſus, inexpectato fato iterum ſublatus eſt poſt 20. dierum ſummum in Orbem imperium. Huic à congregatis adhucdum Patribus mox ſubrogatus Joannes Paulus Caraffa, qui Paulus IV. dici voluit. Vir is erat octogenarius, & à rigore non minùs in ſuos, Clerúmq; percelebris, quàm bellis contra Hiſpanos in Neapolitano geſtis nominatiſſimus. Primus fuit, qui impiorum librorum Indicem per Inquiſitores texi juſſit, quorum lectionem editâ ſpeciali Bullâ, & anathemate intentato interdixit.

Carolus verò Cæſar ferventibus his bellorum in Belgio, Italiáque turbis, rerum humanarum pertæſus, ut ultimam ætatis jam provectæ partem uni daret Deo, & melioribus ſalutis negotiis vacare poſſet, evocato in Belgium filio (qui tunc in Anglia aberat, Mariam Reginam matrimonio ſibi juncturus) in eundem 8. Cal. Novembris cum Belgicis Provinciis Hiſpanam quoque Monarchiam tranſtulit. Imperii dein coronam Ferdinando Fratri concedere in propoſitis habens, ad eundem Oeniponti commorantem Legatos deſtinat, qui propoſiti ſui certiorem facerent: Quibus transactis quinquennales inſuper belli inducias Henricum inter Galliæ Regem, & Philippum Filium conciliat. Atque ſic anno demum inſequenti è Belgio Hiſpaniam petiit in Monaſterium S. Juſti receſſurus, ubi piæ, tranquillæque vitæ vacaret, qui Orbem antehac armis devicerat.

An.

An. 1556.

BEllum, quod rursus hoc tempore Turca Hungariæ intulit, Ferdinandum continuit, quo minùs Carolum Fratrem extremùm salutaturus in Belgium properaret. Solimanus enim, qui potiori jam Hungariæ parti dominabatur, ut totum Regnum Imperio suo adjiceret, numerosissimo exercitu Sigethum urbem expugnaturus circumfudit. Hunc ut rejiceret Ferdinandus, subsidia undique, & militem postulabat. Sed adeo perversa Lutherano ex dogmate tunc erant tempora, ut non solùm acatholici Imperii Ordines, sed vel ipsi Austriæ Status, qui in Provinciali Viennæ conventu collecti aderant, belli subsidium omne denegarent, nisi liberrimum Religionis Lutheranæ exercitium publicè omnibus permitteretur. Offensus his Ferdinandus, Princeps, si quisquam alius, maximè Catholicus, subsidio carere maluit, quàm in tam iniqua postulata consentire. Ære igitur, unde unde tandem corraso, exercitum in Hungaria sustinuit, fortitérque defendente Sigethum Marco Horvatho, eò Turcarum Ducem Halim Bassa compulit, ut soluta trium mensium obsidione, nec sine multorum millium jactura Copias mutilatas reduceret. Quamvis non diu hæc lætitia tenuerit: Cùm enim Isabella quiescere non posset, & Provinciales Austriæ Heterodoxi à Ferdinando secessionem fecissent, Transylvania rursum tota in Turcarum potestatem venit. Coaluêre tamen anno hoc armorum induciæ cum Turca.

Hoc metu solutus Ferdinandus, exeunte jam anno ad convocata Ratisbonæ Comitia profectus est. Multa illìc iterum de Religione, multa de sua in Imperio successione agitata sunt. Nihil tamen ampliùs his in Comitiis de Religione confectum, quàm, ut mense Augusto anni 1557. Wormatiæ colloquium haberetur, in quo duodeni utrimque seligerentur, ea adjecta conditione: *Ut hi conferrent, haberéntque consilium de modo*

concordiæ, ac postea ad se referrent, qui decreturus erat, quod opportunum foret de Religione. Videbatur nempe id Colloquium ad pacem plurimùm facturum, quando Oecumenica Synodus eo rerum statu nec Catholicis, nec hæreticis probabatur: maximè cùm abruptis à Galliæ Rege, Pontifici Paulo confœderato, induciis, in Belgio arma rursus circumferrentur.

An. 1557.

INitium igitur Augusto Mense datum est Colloquio Wormatiensi, cui Ferdinandi loco præsidebat Julius Pflugius Episcopus Naumburgensis, incontaminatus veræ Religionis cultor. Huc pariter sese annuente Pontifice rogatu Ferdinandi conferre jussi, Patres Petrus Canisius, & Nicolaus Goudanus (hunc enim alterum quoque Colloquio interfuisse Historia Societatis Viennensis apertè meminit) Societatis Jesu Religiosi nec non Theologiæ Doctores, qui tunc Româ reduces Germaniam repetebant; cæteros utraque ex parte Collocutores diffusiùs enumerat Spondanus. Eò præprimis Catholicorum conatus contendebat; ut, cùm tot Cæsareis Comitiorum Edictis omnes Sectæ proscriptæ essent, præter eas, quæ Religionem Catholicam veterem, & Confessionem Augustanam profiterentur, ante omnia unanimes convenirent in reliquis improbandis. Cui consilio 5. ex Collocutoribus Sectariorum consenserunt, 7. repugnantibus: quo illud effectum, ut dum Sectarii invicem altercarentur, Conventus sit dissolutus. Hoc autem Colloquium, ùt Spondanus meminit, cùm habitum esset citra Paulli Pontificis indultam expressè licentiam; multùm exinde Papa in Ferdinandum, haud parùm aliunde ab Austriacis aversus, indignationis cæpit, quam anno insequenti clariùs patefecit.

An. 1558.

NOn unam ob causam Universitati nostræ memorandus hic annus est; sub cujus initia Ferdinandus I.

dus I. Imperii Ordinum approbatione, & maximo omnium plausu Romanorum Imperator proclamatus est. Carolus verò V. Ferdinandi Frater sub ejusdem Añi exitum vivendi finẽ fecit. Hic enim, ubi iteratò congregatis cum Ferdinando Francofurti ad Mœnum Electoribus Imperii abdicationem per Legatos offerret, 6to Calendas Martias (qui ipse D. Mathiæ Sacer, & nunquam non Carolo faustus erat) eandem tandem admiserunt, habitísque deliberationibus pridie Idûs Martii Imperialem dignitatem, & Coronam in præsentem Ferdinandum solemni Ceremonia transtulêre annum tunc 55. agentem. Qui ut suam erga Sedem Apostolicam observantiam testaretur, Electionis suæ Nuncium Martinum Gusmanum ad Paulum IV. ablegavit. At Pontifex, suæ, ùt ait Spondanus, dignitatis studiosissimus, non modò Ferdinandi Legatum non admisit ad sese, sed electionem omnino rejecit, & ut Imperio renuntiaret, quamdiu vixit, institit.

Multa erant, ob quæ Successionem Ferdinandi in Imperio Pontifex censebat irritam: cùm enim Imperatores Occidentis, eorùmque Electores ab Apostolica Sede essent instituti, & jus penès Sedem Apostolicam remansisset, ne quis ejus absque annutu potiretur Imperii Coronâ; videbatur ei neque Caroli renunciatio, neque Ferdinandi sobrogatio absque interventu Pontificiæ Authoritatis esse legitima. Fuisse quidem, ajebat, Ferdinandum assensu Sedis Apostolicæ jam, electum Romanorum Regem; sed inde id solùm illi juris obvenisse, ut demortuo Cæsari succederet; alio omni in vacationis eventu nova Pontificis comprobatione opus esse. Accederet, subrogationem illam Francofurti suffragiis quoque Acatholicorum Electorum, qui omni auctoritate excidissent, factam: ideóque mittendum esse à Ferdinando Procuratorem, qui omnibus Francofurti actis renunciaret, rémque omnem Pontificis arbitrio permitteret, qui electionem eam confirmaret.

At plura adhuc erant, quæ Pontificem in Ferdinando offendebant. Primò, quòd in digressu è Ratisbonensi Conventu illa, quæ jam aliàs Sectariis concessa erant, iterum authoritate, & præsentiâ suâ iisdem confirmata sint. Deinde, quod executioni dare tergiversaretur illa, quæ à Pontifice in eos statuta erant, qui in Austria sub utraque specie communicarent. Tertiò denique quòd Maximilianum Filium Acatholicis magna parte Ministris educandum permiserit, pasśimque in aulam admitterentur. Dilutæ quidem partim, partim excusatæ Pontificiæ rationes non à Gusmano Legato duntaxat, qui privatus Romæ substiterat, sed quoque à Joanne Groppero Cardinali; pro Ferdinandi Electionis confirmatione Philippo Hispaniarum Rege, & Republica Veneta per Oratores suos item intercedentibus. At sententiâ suâ dimoveri Paulus non potuit, nec quidem nuncio de morte Caroli Cæsaris paucis post mensibus percepto.

Ferdinandus tamen Imperatorem se gerens Francofurto Viennam appulsus est feliciter; Ubi ab Academia summo honore exceptus, datúsque in lucem honori Principis inscriptus Liber *Triumphus Triplex*. Qui conatus literarius adeo Principi Augustissimo probabatur, ut non paucos, qui in exornando ipsius Triumpho fuissent studiosi, nobilitatis insigniis donârit, ipsíque Academiæ confirmârit Privilegium jam olim à Maximiliano concessum, Poëtas Laureatos creandi, edito hac super confirmatione 10. Septembris Diplomate, cui immutata Maximiliani concessio inserta fuit. Quo ex Privilegio Henricus primùm Eckardus 4. Nonas Julii, duobus ante confirmatum Privilegium mensibus; die deinde 15. Septembris Elias Corvinus, Joannes Lauterbachius, & Vitus Jacobæus, post exquisitissimum Collegii Poëtici examen in celeberrima Principum, Legatorum, & totius Academiæ frequentia per Paulum Fabricium Cæsareum Mathematicum, & Facultatis Poëticæ Collegam in aula Univer-

versitatis tanta celebritate creati sunt Pöetæ Laureati, ut infra hominum memoriam nihil ferè magnificentiùs fuerit visum.

Nec diu post hæc Carolus V. Gloriosissimus, & Victoriosissimus Princeps supremum vitæ diem egit 21. Septembris, ipsâ D. Mathæi festâ Luce, postquàm penè biennio in Monasterio S. Justi privatus sibi & Deo vixisset, & annum ætatis suæ quinquagesimum octavum (ipso enim sæculari anno 1500. die D. Mathiæ Apostoli, Gandavi in Belgio natus erat) attigisset. Princeps erat, non Austriacæ solùm gentis, sed Orbis terrarum decus, & perfecti Principis exemplar, ruentis Reipublicæ, & Religionis invictum columen, qui Victoriis suis Europam, Africámque illustravit. Nec oblita est hìc Academia nostra officii sui: sed meritorum memor, & Augustissimæ Austriacorum Familiæ honoribus deditissima anno sequenti 3tiâ Januarii eidem Carolo parentavit. Dicta quoque ab ipso Rectore Magnifico Panegyris funebris, quæ postea typis data lucem aspexit. Mortem Caroli duarum ejusdem Sororum funera exceperunt, ùt Acta nostra memorant: Quibus & tertia accessit Maria Angliæ Regina, Philippi II. Hispaniarum Regis Conjunx, & Caroli V. Nurus, ùt ex iisdem Annalibus discimus: *In festo D. Matthæi Apostoli in Christo obiit Carolus V. Imperator Romanorum semper Augustus, de Republica optimè meritus, à re militari felix, pius in Patriam; & omnibus virtutibus insignis, qui Deo vivat. Paulò post etiam mortua est Soror sua Eleonora Regina Galliæ. Itidem Maria quoque Soror Regina Hungariæ, Ludovici Regis piæ memoriæ; ac Maria Regina Angliæ Philippi Filii sui Uxor. Quibus bene sit.*

Quod Universitatem attinet, strenuè in id incubuit hoc tempore, ut secundùm habitæ nuper reformationis Leges omnia agerentur, & quæ ad Academiæ decorem, incrementúmque facerent, providerentur. Quapropter Bursarum præprimis, & Contuberniorum visi-

visitatio habita est, & lectionum publicarum modus, ratióque disquisita. Hac in visitatione Bursarum licèt Philosophica Facultas, ad quam tamen pleræque Bursæ, Bursarúmque Provisores pertinebant, esset præterita, neque reclamans exaudiretur; dedit nihilominus operam, ut hac occasione caveretur; *ne pro libitu à Professoribus* (sic Acta nostra loquuntur) *Lectiones Philosophicæ haberentur, aut à Discipulis exciperentur, sed, ut triennio minimùm, veluti reformationis acta jusserunt, Philosophia Auditoribus prælegeretur.* Cogitatum item hoc anno de renovanda Ducali Gymnasii Aula, in quam rem Facultas Artium, cujus antea hæc Aula fuerat, sumptus liberaliter suppeditavit, qui non tantùm reparandæ, sed & ornandæ Aulæ sufficerent.

Nam cum jam sæpius in deliberationem venisset ea res, an, & quibus potissimùm imaginibus exornanda esset Aula, anno tandem sequenti *à Facultate Artium de picturis in Aula Universitatis ab inclyta Facultate Artium statutum, ut illæ fierent Facultatis sumptibus, & pingerentur Principes Austriaci, & Antiquiores Philosophi, Conradus Celtes, & alii ex Fundatoribus præcipui.* Denique Disputationum, & Lectionum de Quodlibeto usus jam multis annis intermissus non tam revocatus est, quàm in declamandi consuetudinem conversus.

Habuit & illud annus hic, uti & proximè insecuturus, peculiare in Universitate nostra, quod tertiùm, quartúmque, multis nominibus clarissimum Virum Georgium Eder Juris Utriusque Doctorem, & Consiliarium Cæsareum, Rectorem Magnificum, nunquam positis tanti muneris insignibus, nacta sit. Nam posteaquam superiori anno 1557. in æstivis comitiis Rectoris Magnifici honor ab Academia, Facultatis Theologicæ nomine (è qua tum Rector petendus erat) Edero tanquam Canonum Doctori delatus esset; eidem anno præsenti non modò à Juridico Collegio hæc digni-

dignitas confirmata eſt, ſed & in annum ſequentem, cùm Inclyta Facultas Medica in ejus favorem juri ſuo pro hac vice renunciâſſet, prorogata fuit. Quod idem officium Facultas Philoſophica, inaudito exemplo, poſtea eidem quartò detulit. De quibus Acta Philoſophica ſic adſcripſerunt: *Georgius Eder J. U. Doctor Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius, quater continuò electus eſt in Rectorem Univerſitatis: in tribus ſuperioribus Facultatibus, Theologica, Juridica, Medica; & anno ſequenti in Philoſophica, propter ſingularem prudentiam, induſtriam, & diligentiam, quam in cauſa ſeu controverſia Privilegiorum Univerſitatis defendenda indefeſſo ſtudio, & multis ſcriptis laboribus exhibuit. De re litèraria, & tota Univerſitate optimè meritus, nec non ſumma laude dignus; tantùm enim in cauſa & controverſia Privilegiorum effecit, quantùm multis retro elapſis annis ullus præſtare poterat.*

Cum anno hoc exeunte deſinit quoque Magnifici hujus Viri Georgii Ederi *Catalogus Univerſitatis*, quem magno labore, & ſtudio conſcripſit, typíſque dein datus fuit. Quo in Catalogo præter Rectorum, & Illuſtrium Archigymnaſii noſtri Virorum ſeriem, ſumma etiam capita earum rerum complexus eſt, qnæ memoratu digna cujusque Magiſtratûs tempore in celeberrima hac Academia contigerunt. Adjecit quoque Syllabo ſuo Codicillum, hiſtoricum nempe Univerſitatis noſtræ Siſtema, ſeu *Deſcriptionem totius Academiæ Viennenſis Generalem in quinque libros diſpertitam*, cujus quidem Deſcriptionis ſumma tantùm capita, & titulos adducit: Hiſtoriæ tamen diffuſiùs corpus, quod meditabatur, aut non abſolvit, aut in manuſcriptis adhuc deliteſcit ineditum. Meminit quoque in Deſcriptionis ſuæ prolegomenis conceptam à ſe Univerſitatis hiſtoriam juxta deſignatos à ſe titulos ſermone ligato concinnatam à Vito Jacobæo Pöeta Laureato; ſed nec iſtud Poëtices opuſculum, fortaſſe manuſcriptum tantùm, ùt ùt inveſtiganti, conſpicere adhucdum datum eſt.

Inva-

In vacantem jam in annum quintum Episcopalis Viennensis Ecclesiæ Sedem, quam fatis cedens Reverendissimus Dominus Christophorus Wertwein priùs occupaverat, anno demum hoc Reverendissimus Antistes Dominus Antonius Mugliz (ita enim ex Universitatis Actis Ederus cum Lazio colligit adversùm eorum opinionem, qui Antonium eodem, quo Christophorus obiit, anno Antistitem Viennæ datum prodiderunt) collocatus est. Hic in Universitate nostra literis Adolescens excultus est; supremus deinde & Generalis Dominorum Crucigerorum cum Rubea Stella per Poloniam, Moraviam, & Bohemiam Magister effectus. Quo in honoris gradu cum strenuus fidei & Religionis assertor audiret, à Ferdinando I. Cæsare, ad Viennensem Infulam evocatus est. Sacram hanc dignitatem adeunti optimo Præsuli Alexander Liebhardt Juris Consultus Academiæ nomine oratione diserta gratulatur. Præfuit indefessus Ecclesiæ suæ Pastor quadriennio ea commendatione, ut Anno 1562. ab Episcopali ad Archi-Episcopalis honoris gradum Pragæ eveheretur. Inde, ùt dicemus deinceps, Ferdinandi Cæsaris nomine Concilio Tridentino Orator adesse jussus est: cui etiam posthac, usque dum terminaretur, interfuit. Redux è Concilio Pragensem rexit Metropolim summa cum laude ad annum usque 1580. quo meritis, & annis gravis vivere desiit.

Non eximiæ solùm defuncti Reverendissimi Christophori Virtutes, sed propria Scientiarum & Pietatis merita ad Præpositi Viennensis, Cancellariique dignitatem anno hoc extulêre Clarissimum, ac Admodùm Reverendum Matthiam Wertwein SS. Theologiæ Doctorem, & Canonicum ad D. Stephani: ut proinde is ab erecta in Cathedralem Ecclesia D. Protomartyris numeretur Octavus.

Ad hunc demum annum spectat Decretum à Ferdinando Cæsare emanatum, quo Lectio Theologiæ Scholasticæ Societatis Collegio, è quo bini Societatis Docto-

Doctores eandem profitebantur, in perpetuum adjudicata, confirmatáque est, stipendio Lectoribus statuto in futuræ fundationis partem computato.

An. 1559.

FUnestavit hunc annum obitus supremi Ecclesiæ Capitis Pauli IV. Pontificis maximi, qui Spondano teste 15. Calendas Septembris, ætatis 83. Pontificatûs quarto, supremam diem clausit, ejús severitate in furorem acto populo ipso Romano, qui ad ejus mortis nuncium Inquisitionis Carceres populatus, Statuam marmoream Pauli, capite, dextráque priùs truncatam, triduo per Urbem raptavit, inde in Tyberim conjectam. Subrogatus in supremam in terris dignitatem Pius ejus nominis IV. quem post longas in Conclavi dissensiones unanimi tandem suffragio ipsa Natalis Christi die Pontificiâ Mitrâ dignum Cardinales censuerunt; è nobilissima Is, & antiquissima Mediceorum Familia erat, nomine Joannes Angelus Mediceus, Vir annis jam gravis; nam septuaginta ferè superaverat. Qui in Ferdinandum longè Paulo IV. pronior, haud diu à sua in Pontificem assumptione Cæsareos eidem titulos, tam constanter, támque pertinaci consilio à Paulo Antecessore denegatos, approbavit; admisítque publicè primùm Oratorem Cæsareum Franciscum Turrianum, qui novam dignitatem Cæsaris nomine Novo Pontifici gratularetur, non sine insigni laude, & de sapientia Pontificis concepta æstimatione. Nec omisit Ferdinandus Cæsar iisdem literis Concilii Oecumenici, jam aliquot annos dissipati, revocationem urgere. Quod quantum ponderis habuerit apud Pontificem, sequens annus docebit.

Porrexit quoque anno præsenti Universitas Cæsari libellum supplicem, quo studiosissimè (veluti Historia Collegii Societatis Viennæ annotavit) contendit, ut Societatis Scholæ ac Studia, quæ indies majora sumebant incrementa, Rectoris Magnifici potestati permitte-

mitterentur. Postulationi huic Excelsum Regimen paucis satisfecit: nolle se novi quidquam, quod cum Societatis Jesu Instituto pugnaret, ejúsque libertati adversaretur, constituere; sinerentur igitur, quemadmodum ante constitutum fuerat, dum iisdem duarum lecturarum locus in Universitate concessus fuisset, duo illi Societatis Professores, cæteri item suis in domesticis scholis absque omni Instituti sui perturbatione liberè docere.

An. 1560.

MOtus Pontifex Pius IV. tum Imperatoris, Hispaniarúmque Regis precibus, tum suo erga avitam Religionem studio, nihil priùs habuit, quàm ut turbatæ tot, in Germania præcipuè, hæresibus Ecclesiæ per Concilii Tridentini revocationem succurreret. Anno igitur ab electione sua primo, qui 1560. erat, 3. Calendas Decembris Bullam de celebrando rursum anno sequenti 1561. Concilio ipso die Paschatis, Romæ primùm solenniter publicari jussit, tum ad cæteras omnes, quarum intererat, Regiones transmitti. Habendis autem Goncilii hujus Sessionibus mirùm quantùm contulit, (ut Bulla ipsa meminit) Pax, quæ inter Philippum Hisapaniæ, & Henricum III. Galliarum Reges Anno superiori 1559. coaluit.

Et sanè perquam necessarium, & fermè unicum restituendæ Religioni veteri, & Quieti publicæ medium videbatur Concilii Oecumenici revocatio: præterquam enim quod Galliam, Sueciam, Daniam, Angliam, & plerasque alias Regiones sui errores dilacerarent, unam solámque Germaniam propè innumeræ hæreses, errorúmque velut colluvies aliqua inundabat. Ipsum quoque Lutheranum dogma in tot secum ipsis pugnantes opiniones scindebatur, ut tot Evangelia, seu Sectas numerares, quot Novatorum capita. Volitabant passim ea in Regione Lutherani, Calvinistæ, Zwingliani, Anabaptistæ, Westphalici, Molles,

Wiclef-

Wicleffiftæ, Schwenckfeldiani, Davidici, Quintiniftæ, Ubiquiftæ, Stancariani, Bezavitani, Servetiani, Mufculani, Ofiandrini, Antifchwenckfeldiani, Sturmiani, Adiaphoriftæ, Antilutherani, Heshufiani, Majoriftici, Illyricani, Antitrinitarii, Polygamiftæ, Puritani, Intermiftæ, Confeffioniftæ, & fexcenta ejufmodi nominum, & errorum monftra audiebantur. Concilii publicationem infecutum eft univerfale Jubilæum hoc anno Romæ celebrandum, dein in longingua differendum. Quod ut ritè inchoaret, ipfe Pius Pontifex ex Ecclefia S. Petri folennem Supplicationem nudipes eduxit ad Beatam Virginem MARIAM fuper Minervam.

An. 1561.

COnftitutus erat hic annus aperiendo iterum Concilio Tridentino; quod tametfi Reges plerique cum Imperatore petiiffent, non leves tamen de eo cogendo fubortæ difficultates; à Ferdinando quidem illæ obmovebantur, quas Pallavicinus recenfet; ne fcilicet Concilium Tridentinam, fed aliam in Urbem convocaretur; neque continuari illud, fed de novo cæptum dicatur; pronior quoque Germanorum in id ut effet animus, feveritas Canonum mitigaretur, ac Populo Ufus Calicis, Clero Conjugium indulgeretur. Ad hæc Legati Pontificii ad Aulam primùm Cæfaris Viennam miffi, tum ejus adhortatione, cùm Pontificis authoritate Germaniæ Ordines Acatholicos, Daniam item, & Sueciam obibant, eofdem ad Concilium inflexuri; quo fiebat, ut tametfi miffi à Pontifice Tridentum Præfides adeffent tempori in Bulla præftituto; quia tamen Tridentina in Urbe non nifi 9. Epifcopos collectos inveniffent, tempus Synodo habendæ prorogatum iterum eft in annum alterum.

Univerfitati noftræ anno ifto id obtigit commodi, quòd Declaratio Privilegiorum, & Jurisdictionis, de quibus inter Univerfitatem, & Magiftrum Civium con-

controvertebatur, perſcripta fuerit; eáque utrique parti prælecta publicè pacem conciliavit. Ablata demum etiam eſt Adminiſtratio Bonorum Ducalis Collegii tum Priori ejuſdem, tum Collegiatis, quæ ad Principem iterum devoluta eſt. Cujus rei plures extant Commiſſiones in Libro Decretorum Univerſitatis, & Priori quidem Anno 1562. Seſſio data eſt in Conſiſtorio, ſed infimo loco.

An. 1562.

ANnus hic tandem cum ſui principio Synodo Tridentinæ initium dedit. 18. Siquidem Januarii hujus anni ſublatâ, quæ hactenus tenuerat, Suſpenſione Concilii, prima collectorum in Spiritu S. Patrum iterum Seſſio, quæ ordine XVII. habita eſt: Adventante ſub Januarii finem Antonio Muglizio Archi-Epiſcopo Pragenſi, qui Cæſareo; & Georgio Draſcovitio, qui Regio Hungariæ nomine, à Ferdinando (uterque in Univerſitate noſtra quondam literariis honoribus exculti) miſſi erant. Excepti honorificè à Patribus, & admiſſi ſunt. Habitæ ſubinde anno hoc adhuc quinque varios inter rerum eventus Seſſiones; XVIII. ſcilicet cæpta 26tâ Februarii: XIX. die 14tâ Maii. XX. die 4tâ Junii. XXI. die 16tâ Julii. XXII. die 17mâ Septembris.

Sub his nihil omiſerat Cæſar cum Bavariæ Duce, quo per Legatos ſuos Tridenti Uſum Calicis, & Sacerdotum Connubium pro poteſtati ſuæ ſubjectis Regionibus à Patribus Congregatis impetrarent; illum enim & Laici ſitiebant avidiſſimè, iſtud verò non pauci per Auſtriacas quoque Provincias Sacerdotes jam contraxêre; utrumque, Religioſiſſimis cæterùm, Cæſari, ac Bavariæ Duci opportuniſſimum medium videbatur, quo & Catholici ſua in Religione conſervarentur, & hæterodoxi avitæ Fidei rurſum accederent. Remiſſiùs actum de Conjugio, & haud paulò poſt à petitione ea deſitum: non item de Uſu Calicis; quem in finem volumen Ferdinandi nomine conſcriptum Concilio oblatum,

tum, & per Muglizium, atque Drascovitium instantissimè Cæsaris postulatio est commendata. Pertractata illa sunt pluribus in Congregationibus Sessionis sub Pio Quintæ, quæ ordine erat XXI. multâ contentione, & sententiarum varietate; quatuordecim enim Patrum differri determinationem voluêre; triginta octo rejecerunt petitionem; viginti novem assensi sunt: viginti quatuor causam totam ad Pontificem rejecêre: quorum posteriorum è sententia tandem decretum, & causa de Usu Calicis à Concilio Romam ad Pontificem est devoluta.

Dum Tridenti ea aguntur; Ferdinandus Cæsar, ut Regna sua, & Provincias stabiliret, & fortunis, ac securitate augeret, ætate præterea grandior, Filium suum Maximilianum indubium sui successorem subditis daturus, eundem hoc anno 20mâ Septembris Bohemorum primùm Regem inaugurari procurat; & indictis dein Francofordiæ ad Mœnum Electorum Comitiis, Rex quoque Romanorum à Septemviris unanimi calculo 30mâ Novembris est pronunciatus. Cujus sacro demum Vertici anno altero 1563. 8vâ Septembris Ungarica quoque Corona accessit: Quod præter Albertum II. ad ea usque tempora contigit nemini, ut anni unius spatio trium Regnorum Coronas aufferret. Nec defuit Universitas, quin tanto Principi pro merito applauderet. Mandatum igitur Collegio Poëtico à Rectore Magnifico, ut Neoelectum Bohemorum, Romanorúmque Regem Maximilianum, ac totam Austriacam Prosapiam, ùt Acta scribunt, Panegyricis Eloquiis, Trophæisque exornent.

Translato præterea à Viennensi Cathedra ad Pragensem Archi-Episcopatum Antonio Muglizio, in ejus locum anno labente Viennensis Administrator designatus est Urbanus Gurcensis Præsul, qui præter Ecclesiam suam Viennensem quoque usurpavit ad annum usque 1574. charus adeo Austriacis Principibus, ut Ferdinandus I. æquè ac Maximilianus II.

 Im-

Imperatores ſibi eum à Conſiliis habere, Palatiníque Comitis munus gerere voluerint. Carolus verò Archidux, & Auſtriæ Interioris Dominus in intimum Conſilium adlectum, è pulpito quoque Eccleſiaſten Aulicum non ſine approbatione audiêrit.

An. 1563.

HAbitæ anno hoc Seſſiones tres à Patribus Tridenti Congregatis ordine nempe XXIII. XXIV. & XXV.; primæ initium factum 15tâ Julii, ſecundæ 11mâ Novembris; tertiæ 3tiâ Decembris; à qua finis conſenſu Patrum Concilio feliciter impoſitus, conſuetas Lotharingo Cardinale acclamationes præeunte: Cujus Decretis à 256. Patribus eſt ſubſcriptum. Atque ita Concilium Tridentinum Auſpiciis Pii IV. Romani Pontificis, adnitente potiſſimùm & operâ Ferdinandi Cæſaris Principis Auſtriaci Optimi, ingenti bonorum omnium gaudio, & Eccleſiæ emolumento eſt terminatum; atque annis proximis per Provincias Auſtriacas, Catholicámque Germaniam Oraculi inſtar, quod ad Dogmata attinet, eſt receptum.

Et quamvis non is hoc in Concilio Univerſitati noſtræ per tot bellorum diſpendia, & graſſante per Auſtriam Lutheranâ Sectâ propè dilapſæ ſplendor fuerit, ac fama, quæ in ſuperioribus illis Conciliis Baſileæ, & Conſtantiæ collectis; neque ullus in hoc Eccleſiæ Theatro ſe Academiæ hujus nomine oſtenderit Theologus; gloriari nihilominus poteſt non uno Viro, eóque celeberrimo, qui Concilio huic ſub tribus Pontificibus Paulo III. Julio III. & Pio IV. interfuerunt, quos aliquando aut in Scholis inſtituit, aut Laureis ornavit, aut inter membra denique Univerſitatis numeravit. Claudio ſcilicet Jajo è Societate Jesu ſub Paulo III. qui primus ex eadem Societate Viennenſi in Univerſitate Theologiam prælegit: Friderico Nauſea Epiſcopo Viennenſi ſub Julio III. Antonio Muglizio Viennenſi antehac Antiſtite, dein Archi-Epiſcopo Pragenſi

gensi sub Pio IV. Cæsarei Oratoris munus in Concilio sustinente, & Georgio Drascovitio Quinque Ecclesiensi Episcopo, Oratoris item munus pro Ferdinando Hungariæ Rege obeunte.

Domi nostræ interea cùm Inclyta Artium Facultas jam ab aliquot annis sæpius in Rectoris Electione præteriretur, & anno etiam præsente negligeretur, id indignè ferens, Decretum à Maximiliano Rege (aberat tunc Ferdinandus Oeniponti ad congressum Theologorum, quorum primi erant P. Petrus Canisius è Societate JESU, & Fridericus Stafilus Reginæ Romanorum à Confessionibus, à se institutum ad expediendas nonnullas à Concilii Patribus propositas quæstiones) impetravit, quo cavebatur: ne, si dignum tanto muneri Virum inter membra sua censeret, posthac prætereatur. Quare Neoelectus Rector Georgius Walther J. U. D. & Linguæ Græcæ Professor, veluti incongruè electus, officio jussus est cedere; & juxta Universitatis Statuta, Decretúmque Regium Philosophorum tum temporis Decanus, M. Georgius Muschlerus in Rectorem eligitur. Extat hoc idem Maximiliani Decretum Posonii 26. Octob. datum in Actis Universitatis.

Aliud item Rectori Magnifico, & Consistorio anno hoc Cæsaris nomine ab excelso Regimine Mandatum consignatum esse Acta Universitatis notant; ut viam nempe, rationésque ineant, quì Facultas Theologica ad paucos jam redacta, & penè emortua, in integrum queat restitui. Id ut curaretur diligentiùs, Rector cum Consistorio negotium Juridicæ Facultatis Decano Wolffgango Pudlero, & M. Laurentio Zadesio Artium Doctori, ac ad D. Stephanum Canonico detulerunt: qui si quid in dictæ Facultatis commodum excogitâssent, ad Consistorium referrent.

Crevit deinde Universitas anno hoc ære non modico, quod ex divenditis S. Nicolai Bonis collegit, 4000. circiter florenorum; quam pecuniæ summam

apud se elocari voluit Augustissimus Cæsar Ferdinandus, cum aliis 1000. fl. pro quibus duplicatum Universitati censum liberaliter promisit, 10. pro centum. Atque ne in levandis censibus difficultatem pateretur Universitas, duos fundos assignavit, das Saltz-Ambt, nempe, è quo pro 4000. florenis; & Telonium in Stain, unde pro residuo censum peterent. Addidit & syngrapham obligatoriam, cujus copia extat in MS. decretorum libro Universitatis, cui se Jacobus Oechsl Notarius in hanc formam subscripsit: *Auscultiert, collacionirt, und mit sondern Fleis übersehen ist gegenwärtige Copey durch mich Jacob Oechsl, sonst Taurellus genannt, verheyrathen Clerickh Strasburger Bistumb von Schlesstadt auss den Elsas, Comitem Palatinum Apostolicum, Röm: Kays: Majestät Rath, und Zaigs-Commissarium bey der Niederösterr: Regierung auss Pabstlicher, und Römischer Kays: und Kön: Maj: Vollkhomenheit offnen, und geschwornen Notarium.* Quid porro circa pensiones à Monasteriis stabilatem professis ærario Universitatis conferendas, quarum annis hisce nonnullæ sunt persolutæ, ulterius constitutum, commodiùs sequenti sæculo referetur.

An. 1564.

CLauso, ut superiori anno meminimus, Concilio Oecumenico, & speciali Bullâ à Pio IV. approbato, Ferdinandus Cæsarj facultatem Usûs Calicis, quem cum Alberto Bavariæ Duce non semel, nec remissè pro Provinciis suis in Synodo Tridentina urserat, at ab eadem ad Pontificem rejectus erat, tandem iteratis precibus (quòd usum illum non parum reducendis Sectariis, ùt diximus, conservandísque Catholicis profuturum crederet) certis sub conditionibus anno hoc impetravit. Nihil moratus igitur Cæsar, promulgari publicè tribus è Cathedris hanc Calicis concessionem Viennæ jubet, in S. Stephani nempe, S. Michaëlis, & Collegii Societatis Ecclesia; jussa Imperato-

ratoris priorum duorum templorum Præsides lubentes fecêre ; una Societas facere detrectavit. Quæ res illi magnam apud Principem, cæterùm addictissimum, offensam conciliavit. Atque eò majorem, quòd non lateret Cæsarem, ejusdem Societatis JESU potissimos fuisse, Jacobum Lainez scilicet Generalem, & Alphonsum Salmeronem, qui dicto postulato Cæsaris in Tridentino adversati sint. Lenivêre nonnihil Ferdinandi indignationem Societatis Patres, ubi novis Româ à Præsidibus literis instructi Concessionem illam demum promulgârunt. Excepta in principio non in Austria modò, sed & Viennæ facultas illa magno jubilo, & gratulatione, imò & fructu nonnullo; cùm Delphinus Pontificis Legatus Romam haud paulò post rescriberet, teste Pallavicino, jam duas tertias hæreticorum partes Viennæ ad frugem redactas. Verùm Usus hic haud multo tempore progressus, post mortem Cæsaris sensim & incommodis suis, & dedoctione eorum, quorum operâ vetus Religio refloruit, desiit.

Interea in Universitate nostra multùm laborabatur, ut, quemadmodum anno superiori notavimus, secundùm Excelsi Regiminis Decretum, Facultas Theologica, quæ penè jacebat, exsurgeret, incrementúmq; acciperet; E Clero enim tum paucissimi Viennæ Theologicos Gradus ambiebant, quòd Lutheri ex doctrinâ Matrimonia potius sequerentur; Quatuor autem Religiosis Mendicantium Ordinum è familiis, quibus ab Universitatis prope Origine jus ad Facultatem Theologicam aspirandi fuit, plerique dilabebantur. Cum igitur & anno hoc laudatæ Facultati tantæ dignitatis vir deesset, qui Rectoris munere dignus censeretur, habitis mense Aprili Die SS. MM. Tiburtii, & Valeriani more veteri comitiis, tres Nationum Procuratores in Rectorem elegerunt A. R. ac Clarissimum D. Laurentium Zadesium Magistrum in Artibus, & Cathedralis ad S. Stephanum Ecclesiæ Canonicum, Nationis

tunc Austriacæ Procuratorem. A cujus electione reliquo toto anno Procuratoris officium vacabat.

Majo subsequenti consuetâ formâ convocata sunt omnia, & singula Universitatis tam superioris, quàm inferioris Ordinis membra, quibus à Consistorio imperatum: operam darent, ut solemni Processioni Corporis Christi cuncti interessent, in qua velatum sub speciebus Numen publicè, & magnâ pompâ circumducitur, nisi statutam irremisibiliter pœnam incurrere velint. Multos jam annos siquidem is Deo debitus honor intermissus erat, & vel nulli, vel pauci omnino ex Academicis hanc solennitatem prosequebantur. Advocati potissimùm sunt in Consistorium Bursarum Provisores, stipendiarii, & inquilini, quibus præ reliquis, id ut præstarent, demandatum.

Adeò scilicet Lutheranum dogma Viennæ grassans veterem Austriacorum pietatem extinxerat; ex quo & illud consequebatur, quod tametsi superioribus annis Universitas ingenti Ferdinandi Cæsaris curâ in cæteris esset restaurata, tanta tamen Magistrorum æquè, ac literarios gradus petentium esset paucitas, ut penè emortua videretur. Cujus rei causam in id nonnulli fors Orthodoxi quidem, sed laxatæ tamen (ùt maligna tunc tempora erant) conscientiæ homines conferebant: *Quòd, qui ad gradus promoveri cuperent, ad emittendam Catholicæ Religionis professionem severè nimiùm adigerentur, atque inde & à scholis, & ab honorum petitione absterreri.* Re hac ad Maximilianum II. (qui demortuo, ùt mox dicemus, Patri Ferdinando ante menses jam duos successerat) delatâ, condescendi nonnihil posse ratus, ad Universitatem 5. Septembris subjunctum Decretum transmisit:

Sacra Cæsarea Majestas, Dominus noster Clementissimus audita difficultate, quæ in promovendis hoc in Viennensi Archigymnasio Doctoribus injicitur, circa professionem Catholicæ, & Romanæ Religionis ab ipsis exigitam; mandat, atque de cætero inviolabiliter observandum decernit, ut deinceps

ceps in quacunque demum studiorum graviorum Facultate, Doctoratûs, aliorúmque dignitatum Insignia suscepturis, si sese Catholicos esse, & cum S. Matre Ecclesia Catholica communicare professi fuerint, ad Romanæ insuper Ecclesiæ fidem speciatim profitendam minimè adstringantur. Quod ita sese velle Cæs. Sua Maj. manu suâ subscriptâ, sigillô Cæsareô hîc appressô attestatur. Decretum Viennæ Austriæ 5. die mensis Septembris An. 1564.

Non adeo diu tamen tenuit hæc Cæsaris Constitutio, quin non mox sequentibus annis aboleretur. Cùm enim anno hoc eodem Idibus Novembris Pius IV. P. M. è Concilii Tridentini mente Bullam emisisset, quæ incipit: *In sacrosancta D. Petri Principis Apostolorum Cathedra*, Qua promovendi omnes, nullo excepto, ad scientiarum Gradus, earúmque Professores, ad emittendam Fidei Catholicæ professionem adstringuntur, sic volente ipso Maximiliano Cæsare, ex præscripto Bullæ agi cæptum est, atque, ùt clarè in Actis Theologicis ad annum 1568. lego, Theologiæ Baccalaurei prædicto anno secundùm formulam à Pio IV. dictatam professionem fidei fecêre. Atque hac ratione demum heterodoxis aditus ad Universitatem interclusus est.

Occurrit rursum hoc anno sub Autumnum altera Rectoris Magnifici electio, die D. Colomano festâ haberi solita, in qua è Facultate Medica Clarissimus Vir Andreas Dadius Artium & Medicinæ Doctor, Rector nominatus est; quanquam ex Facultate Juridica Rector Universitatis ex ordine dandus fuisset; sed ea ultroneè juri suo cessit eo consilio, ut usitata eligendi Rectoris ratio, quæ aliquamdiu inversa fuit, in pristinum electionis Ordinem reduceretur. Consilium hoc Maximilianus approbavit, atque ne ullo posthac tempore ab hoc ordine discederetur, seriò, & in perpetuum mandavit, dato eam in rem Mandato publico.

Priusquam illa 12. Novembris à Maximiliano statuerentur, jam diem supremam omnium dolore, & luctu

luctu obiit 25. Julii tabe catharrali consumptus, Ferdinandus I. Romanorum Imperator Optimus, Hungariæ, Bohemiæque Rex, Hispaniarum Infans, Austriæ Archidux, & quod ad rem nostram est, Universitatis Viennensis Fundator alter, aut certè Restaurator. Ei enim uni in acceptis debet Universitas, quòd tot bellorum turbis non sit dilacerata, atque tanta Lutherani dogmatis invasione, studiorúmque contemptu non sit penitus extincta. Binâ eam reformatione renovavit, ornavit, novis auxit privilegiis, & ære. Professores Catholicos aliunde accitos dedit, stipendia ampliavit, studiosis denique omnibus divulgato per Provincias suas scripto summam pollicitus clementiam, & dignitates, quibus non tantùm ad literas, sed & Fidem Orthodoxam juventutem provocavit. Literatos sibi viros semper adscivit, adscitos ad intima consilia, & utriusque Reipubl. honores extulit: cujus ex ore ea præclarissima, & magno Imperatore digna vox non semel audiebatur: *Minoris se gemmarum, & thesaurorum copiam facere, quàm scientiarum.* Forti ad bellum pectore princeps, & generoso; quamvis minùs fortunatus. Religionis præterea avitæ propugnator constantissimus, cujus tuendæ, augendæque causâ nullos in Imperio detrectavit labores, indictis toties, tótque locis Comitiis; etsi Sectariis nonnulla iis in Conventibus subscriberet, ad quæ non mente sua, sed ut turbato Germaniæ Statu præ majori malo minus eligeret, erat compulsus. Nulli certè deerat industriæ ad regiones sibi subjectas illæsas à communi tum Germaniæ morbo, sectarum nempe dogmatibus, servandas. Concilii Tridentini, Sedísque Apostolicæ studiosissimus, adeo ut hæc eum experta sit egregium obsequiosissimos inter Cæsares, qui unquam in Germania imperârunt; atque illi potissimum acceptam referre possit immensam utilitatem, quam attulit Ecclesiæ Synodus Tridentina. Et certè non nisi ob nimium Religionis zelum correptum morbô religiosissimum principem palàm

làm ſcribere non dubitavit Pallavicinus: *Audiens enim*, inquit, *magna detrimenta, quæ ex Lutheri hæreſi patiebatur Chriſtiana Reſpublica, in febrim incidit; hoc prodigioſo morbo demonſtrans ſe pio quodam vitali calore vivere, qui ſolito acriùs circa cor ardens febrim hanc pietatis attulerit.* Perſoluta ſunt juſta Optimo Principi non ab Univerſitate modò, ſed quoque à Societatis JESU ſcholis; Romæ etiam Defuncto inſueti planè in Baſilica Vaticana honores à Pontifice Pio, Cardinaliúmque Collegio habiti ſunt. Cum cujus igitur obitu Sæculum Alterum Conſpectûs Hiſtoriæ Univerſitatis Viennenſis explicit.

FINIS.



HAbes hisce, Academice Lector, Alterum Sæculum Historiæ Viennensis Universitatis: Cujus Sæculum ab Origine sua primum ubi Biennio abhinc lucem aspexerat, ea mox exceptum est Academicorum approbatione, ut Continuationem ejusdem non modò peroptarent, sed etiam urgerent. Nec deerat Primo Operis hujus Authori animus, nec studium, quo eorum desiderio obsecundaret; nisi eidem Mutatio loci opportunitatem ademisset. Imposito igitur mihi ex Majorum imperio Continuandi operis labore num Votis eorum factum sit satìs, nescio; id compertum, me Conatibus non defuisse, quibus & ad Universitatis Commendationem, & ad Cæpti Operis formam Conspectum isthunc pertexerem. Id si minús ex judicio tuo sum assecutus; memineris, laborem paucorum Mensium Spatio præter quotidianas Philosophiæ prælectiones fuisse perficiendum. Cæterum omissa oportuit non pauca, quæ ad Historiam facerent, quando Documenta eorum annorum bene multa in Tabulario Universitatis injuriâ temporis perivêre, Facultatum autem Acta non semel neglectâ manu conscripta. Prætermissa prætereà sunt, Decreta varia, Reformationum Formulæ, Consistoriales Causæ, privatæ Facultatum Controversiæ, ac Statuta, Literariæ promotiones, & quam plura alia hujus generis; tum quòd non justos Annales, sed Conspectum scribamus; cùm quod singulis adferendis vires pecuniariæ essent impares. Denique Historiam Austriacorum Principum continuatâ ferè annorum serie immiscuimus; seu quòd illa non parum ex Academicis Actis lucis accipiat, seu quòd ista gratiam, pretiúmque sui ab illa mutuent. Si Conatibus hisce faueas, fors erit, ut anno sequenti finem operi imponamus.

